



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

Penzinger, Sebastian Heinrich

Solisbaci, 1698

September.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

SEPTEMBER.
IN FESTO NATIVITATIS
B. V. MARIE.
CONCIO PRIMA.

Textus. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora. Cantic. 6.*

Thema. Quam salutaris sit mundo Nativitas B. V. demonstratur.

Exordium.



Uroram emblematis loco instar Virginis formosissimæ depingo, quæ odoriferos flores, salutiferas herbas, candidas rotis uniones, aërem recreantem medullas, lucem exhilarantem præcordia, aliasque delicias, liberalissimâ manu in mundum spargit, epigraphen subscribo: *Adfert quæque prospera mundo.* Quæ pulchrior, formosior unquam Virgo nata est mundo, præ MARIA, quam cælestes genii natam in hunc mundum, auroram inticulant, auroræ comparant: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora?* utique ad captum nostrum: sicuti aurora *adfert quæque prospera mundo*, sic Maria in mundum nata, ut grata aurora, omnia prospera, salutifera, conducibilia, delectabilia orbi attulit. Aurora noctem & tenebras fugat, lucem, ac diem invehit; sic Maria natiuitate suâ, noctem, & tenebras disgratiæ abstulit, lucem, & diem divinæ gratiæ introduxit. Audiatur S. Petrus Damianus Serm. in Assumpt. V. *Hæc est aurora, quam sequitur, imò de qua nascitur Sol Justitiæ; nam sicut aurora terminum noctis, diem principium adesse testatur, sic & Virgo noctem expulit sempiternam, & de die diem, de terrâ suæ virginitatis exortum, terræ infudit.* Et iterum: *Natâ Virgine surrexit aurora; quia Maria,*

SS. Patres.

Damianus.

veri prœvia luminis, natiuitate suâ mane clarissimum illumina-
 uit. Quando nata es ô Virgo beata, perorat Rupertus Abbas in
 cap. 6. Cantic. Tunc vera nobis aurora surrexit, quia sicut auro. ^{Rupertus.}
 ra est finis praterita noctis, & initium diei sequentis, sic natiui-
 tas tua finis dolorum, & consolationis fuit initium. B. V. Maria
 aurora fuit, inquit Hugo de S. Victore Serm. 34. in principio:
 Quia & precedentis temporis, quod quasi nox erat, finis exstitit, ^{Hugo à}
 & vera lucis gratia, solisque Iustitia, qui ex ipsa progenitus est, ^{S. Victore.}
 prœventrix, & antelucanum sidus fuit. Sicut aurora valdè ru-
 tilans in mundo progressa es, ô Maria, scribit S. Bernardus in
 deprec. ad B. V. quando veri solis splendorem tanta sanctitatis ^{S. Bernardus}
 iabare præcurristi, ut verè diem salutis dixerim, diem probatio-
 nis, diem, quem fecit Dominus, quem tue charitati initiari di-
 gnum fuit. Felix aurora, felicitis diei exstitisti nuncia, talis dies,
 talem auroram diei decuit, & rectè quidem aurora implesti offi-
 cium, ipse enim Sol Iustitia de te processurus, ortum suum quâ-
 dam matutinâ irradiatione præueniens, in te lucis sua radios
 copiosè transfudit, quibus potestates tenebrarum, quas Eua pro-
 duxerat, in fugam convertisti, atque ita desideratum cunctis
 gentibus solem mundo inuexisti. Aurora est B. V. Maria, scribit
 S. Bonav. in spec. lect. 11. qua inter noctem & solem, inter ho- ^{S. Bonavent.}
 minem & Deum, inter hominem iniustum, & Deum iustum, est
 optima mediatrix, optima ira Dei refrigeratrix. Hæc aurora Ma- ^{S. Damascen.}
 ria nata diuturnum illud bellum, quod nobis cum creatore erat,
 sublatum est, per hanc nobis cum eo reconciliatio sancita, pax-
 que, & gratia donata est. Inquit S. Damascenus orat. 2. de dor- ^{nis.}
 mit. V. Concludit S. Mater Ecclesia: Natiuitas tua Dei geni-
 trix Virgo, gaudium annunciauit universo mundo, ex te enim Eccl. sicut
 ortus est Sol Iustitia Christus Deus noster, qui solvens maledictio-
 nem, dedit benedictionem. Imploratâ S. Spiritûs gratiâ Con-
 ceptus audiamus.

CONCEPTUS I.

Confirmatio.

Auroram videmus quasi fecundam matrem solem & lucem, ut infantem in sinu blandè deferre, ut amorosam genitricem brachiis constringere, & inseparabiliter cum sole & luce permanere: Maria aurora est; *Natâ Mariâ Virgine surrexit aurora veri prævia luminis*, inquit Damianus. Sol & lux est Deus: *Sol Justine Christus Deus noster; Ego sum lux mundi*. Joan. 8. De Maria inquit S. Bonaventura in spec. *Tecum Dominus, sicut sol in aurora*: Auroram Mariam, cum sole & luce, Dei inquam Filio, conjunctam videmus, Maria fecunda mater, solem & lucem, Jesum, in sinum suum reclinat, vel uberibus fovet, vel brachiis stringit, & tenet; recenter natum Jesum inveniunt pastores in sinu Maria vagientem, Reges, in sinu Mariæ sedentem, in Ægyptum fugientem Jesum, Maria in sinu deportat, in templum Maria Jesum, in sinu & brachiis defert, mortuum Jesum, in sinum suum Maria includit; rectè ergò aurora, quasi *aurea*, à Sole Deo, aurea, à luce, ac lumine divinarum gratiarum. Semper cum sole aurora, semper cum luce, ac lumine. Quis nunc causam dicet, Solem Justitiæ Deum, lumen gratiarum Jesum, cur Maria semper secum retineat, vel in sinum reclinet, vel uberibus foveat, vel brachiis stringat, ac teneat? Dicit S. Bonaventura in spec. *Tecum Dominus sicut sol & aurora*: Sol in aurora est quidem ignis, at ignis non urens, sed illuminans, & refrigerans, ignis non exsiccans, sed recreans & humectans, ignis non nocens, sed fovens, ignis omni creaturæ blandus, gratus, acceptus, & proficiuus: progreditur ergò Maria ut aurora, ut aurora solem & ignem, Deum, Christum Jesum in sinum suum reclinat, inter ubera fovet, brachiis deportat: ut nempe Deus, nobis sol in aurora sit & maneat; semper suavis, mitis, & blandus, recreet omnes, nullum exurat, fovet omnes, noceat ulli. Optimè Albertus Magnus in Bibliâ Mariânâ lib. Genes. N. 12. *Ipsa post DEUM principium omnis gratiæ in nobis.*

CON.

CONCEPTUS II.

S. Isidorus in lib. Ethimologiarum, Auroram derivat, ab aurâ suaviter rorante: ut aurora, idem sonet, quod *aura rorans*: aurâ roranti inscribit Academicus; *refrigerat, & erigit lassos*: flores, inquam, & herbas ab ardore solis lassas & exsuccas; aurora progrediens refrigerat, ac erigit: Sic Maria in nativitate suâ humano generi, ab ardore iræ Dei exhausto, lassio, atque prostrato, fuit aurora, aura rorans, ardorem iræ Dei temperavit, roris gratiarum guttulis resperfit, refrigeravit, erexit. Ita ad Virginem natam suspirat S. Germanus: *Sola ô Domina mea, sola, quæ sola mihi ex Deo solatium, sola astus in me existentis, divinus ros; & exsiccati nostri cordis divinitus irrorans aspersio*. Experiencia discimus, aurorâ progrediente, & aurâ rorante, cœlum mel, & dulcissimum liquorem stillare: In antiquo etiam Testamento legimus, quod manè ros ceciderit, quem ocus manna suavissimum secutum est: ita Exodi 16. *Manè quoque ros jacuit super circuitum castrorum, cumque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum &c. quibus ait Moyses: Iste est panis, quem dedit vobis Dominus ad vescendum &c. appellavitque nomen ejus Man, quod erat quasi semen coriandri album, gustusque ejus quasi simile cum melle*. Hoc Man figura est gratiæ Dei, quæ gratia, postquam Maria, hæc aurora, aura rorans, super terram progressa est, suavis, & dulcis animarum cibus, ab omni cupiente gustatur, & sumitur. Ita S. Paulus ad Titum cap. 3. *Apparuit gratia & benignitas, Salvatoris nostri Dei*. Et David Psalmo 33. hortatur: *Gustate & videte, quàm suavis sit Dominus*. Optimè Hugo à S. Victore Serm. 34. *Maria aurora, veræ roris gratiæ, prænuncia fuit*.

CONCEPTUS III.

Doctissimus Calamato in Sabbatho post Dominicam I. Quadragesimæ, docet: Auroram, idem sonare, quam *auream horam*. Maria, in terram nata est, ut progrediens aurora, generi humano certè

certè fuit *aurea hora*; aurea hora, quia Virgine nata, maledictio in hominem lata, benedictione compensata est, sol gratiæ divinæ illuxit nobis, non sævientem, sed miserentem patrem, Deum experimur; in figuris veritas depicta patet: Genes. 32. Cum Jacob totâ nocte luctabatur cœlestis genius, manè factò, aurora progrediente, à luctu cessat, amicitiam cum Jacob iniit, gratiam ei exhibet copiosam: *Ecce vir luctabatur cum eo usque mane &c. dimitte me, jam enim ascendit aurora &c. benedixit ei in eodem loco.* Vir luctator Deus erat, Jacob à Deo graviter læsus, & vulneratus, humanum genus figuravit, quod aliquot millibus annorum durissimè habitum est, ac severissimis divinæ justitiæ fulminibus castigatum luxit, ab hac luctâ, & severissimâ justitiâ cessavit Deus, cum homine amicitiam inivit, gratias & benedictiones hucusque ei exhibet copiosissimas, quæris quando? dum manè factum esset, dum aurora Maria progressa, & nata fuisset in terram, Maria, aurora, facta est nobis *aurea hora* divinarum gratiarum, & benedictionum. Sic docente S. Matre Ecclesia: *Nativitas tua Dei genetrix, gaudium annunciauit universo mundo, ex te enim ortus est Sol Justitia Christus Deus noster, qui solvens maledictionem, dedit benedictionem, & confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam.* Subscribit S. Joannes Damascenus orat. 2. de dorm. Virg. *Diuturnum illud bellum, quod nobis cum creatore erat, sublatum, & extinctum est, per hanc nobis cum eo reconciliatio sancita, paxque & gratia donata est.* Testante Apostolo ad Ephes. cap. 1. *Benedixit nos, in omni benedictione spirituali in cœlestibus.*

CONCEPTUS IV.

Quæcunque parte se vertant filii Israël, non nisi interitum & ruinam suam conspiciunt, à facie præbet se mare rubrum, quod si ingrediantur, submergentur, à dorso, insequitur armatus Rex Pharaon, qui consistentes ad unum omnes trucidabit ac interficiet; ad latera se præbent vastissima deserta Arabiæ, in quæ si fugerint, fame & siti mortificati interibunt; afflictissimo, undique miseris circum-

circumdato populo, tandem desuper venit auxilium & solatium, gratia, & misericordia; mare se dividit, iter pandet, per quod sicco vestigio transeuntes salvati, hostem in mediis fluctibus submersum intuentur. Sienti, & esurienti populo in deserto, ecce durissimum saxum profundit limpidam, cœlum depluit panem, & escam dulcissimam: quæris denuò, quando populus Israëlitis tantis favoribus desuper donatur, & gratiis ditatur? dicit tempus liber Exodus cap. 14. *Famque advenerat vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis, & nubis, interfecit exercitum eorum, & subvertit rotas curruum eorum.* Mane auroræ, erat illud tempus aureum, quo tantæ gratiæ Judæis à cœlo datæ sunt. Per hoc mane, & tempus auroræ, quid aliud, quam natam Virginem intelligam, Maria, aurora, *aurea hora* generi humano exstitit, dum hæc nata, Deus clementissimis oculis, in gravissimis animæ & corporis periculis constitutos respicit, ac brevi filium suum unigenitum transmittit in terram, qui tyrannidem Dæmonis abstulit, morte suâ incolumes, per mare rubrum miseriarum & periculorum nos traduxit; manna dulcissimum corporis sui cibum viatoribus in deserto hujus mundi, dedit, & instituit, quo confortati, planè in patriam cœlestem perveniamus, ad hoc mane, & auroram respexit David, dum canit Ps. 89. *Repleti sumus mane misericordiâ tuâ;* verissimè Rupertus Abbas lib. 6. in Cantic. *Quando nata es ô Virgo beata, tunc vera nobis aurora surrexit, aurora, aurea hora, præ-nuncia diei sempiterni, quia sicut aurora quotidiana finis præterita noctis, & initium diei sequentis, sic nativitas tua ex semine Abrahæ clara ex stirpe David, finis dolorum, & initium consolationis fuit, finis justitiæ, & lætitiæ nobis exstitit principium.*

CONCEPTUS V.

Sunt, qui auroram, ab ore aureo derivant, ut idem sonet aurora, quasi *aurea ora*, os aureum, expertissimum Advocatum, Intercessorem, ac Patronum nominamus. Et quis magis perorat pro nobis, intercedit, ac patrociniatur, quam Maria, exindè

Pars II.

(Ff)

aureum


aureum hoc os Spiritus S. vittam coccineam intitulat: *Sicut vit-
ta coccinea, labia tua.* Cantic. 4. Theodoretus legit, *sicut fu-
niculus coccineus*: cur Maria vitta, aut funiculus coccineus dicitur?
Explico me facto Numerorum cap. 2. Rahab meretrix, ab
excidio, & interitu salvatur, medio funiculo coccineo, quem de
fenestra pendulum exposuit; funiculo coccineo ergò comparatur
labia Mariæ, ad indicandum: per Auroram, per *aurea ora*,
intercedentis, patrocinantis Virginis, innumeros peccatores ab
interitu & ruina tam temporali, quam sempiternâ, tueri, præser-
vari. Audire libeat Bernardinum de Busto in Mariali part. 12.
Serm. 2. de coronâ B. Virginis: *O Christiane bona nova tibi an-
nuncio, sicut Maria apud Deum omnibus Sanctis est potentior, ita
apud Deum pro nobis diligentius intercedit, & ferventius. Ideo
que, ô peccator! ne te desperationis barathro immergi sinas, sed
confidenter ad hanc potentissimam clementissimamque Advocatam
recurre: ipsa tibi succurret sine dubio, quia potest &c.*

Epilogus.

Pierius lib. 55. recenset, Indiæ habitatores auroram sic ve-
nerasse: Auream patenam repletam oleo limpidissimo, orienti
auroræ exponebant, hoc cultu omne bonum ab aurorâ sibi pro-
mittentes. Aurum, charitatis est symbolum, oleum verò devo-
tionis, ac religiosi cultûs, cor tuum Christiane aurea fiat patena,
aurea, inquam, omnimodè Mariam amans; sic aureum amorousum
cor tuum, reple oleo devotionis, & singularis cultûs erga Virgi-
nem, & omne bonum ab hac aurorâ tibi spondeo: bonum, ut
mediante hac aurora, te Sol Deus illuminet, non urat. Bonum,
ut te Deus rore gratiarum refrigeret, consoletur; bonum, ut me-
diante aurora, Maria, eveniat tibi aurea hora, mortis felicitis.

Bonum tandem, ut Maria aurora sit tibi ad tremendum tri-
bunal aurea ora, quibus iudicem placet, æter-
nam felicitatem procuret.

Amen.



IN FESTO

IN FESTO NATIVITATIS
B. V. MARIÆ.

CONCIO SECUNDA.

De quâ natus est JESUS, qui vocatur Christus. *Textus.*
Matth. cap. 1.

Per Virginem Mariam venit, quòd Dei Fi- *Thema.*
lius erga homines sit suavissimus.

Monoceros, è Solini, Æliani, & S. Isidori testimonio, *Exordium.*
cum sit animal ferocissimum, nullo humano labore
aut industriâ capi potest, proindè hâc arte venato-
res eum deludunt: Virginem ei vicinam statuunt,
vestibus & odoramentis mirè ornatam, hanc conspicatus mono-
ceros oculis ita capitur, ut depositâ feritate, velut agnus man-
suetus ad Virginis sinum properet, ibique ludens, ac benevolus
sefe Virgini pro libitu tractandum exhibeat; Academicus epigra-
phen subscribit: *Virgineo mansuescit in sinu.* Ferocis monoceros
Deus in prisca lege intitatur: *Cujus fortitudo similis rhinocero-
tis.* Num. 24. Ferociam testatur Noëticum diluvium, quo hau-
stus est orbis. Sodomæum incendium, quo exusta Pentanopolis,
Ægyptus, primogenitorum funeribus referta, Pharaonis ingens
exercitus, mari sepultus; funesta Sennacheribi castra, ducentis
penè millibus unâ nocte deletis. Hem! quàm terribilis fuit hic *Patres.*
monoceros, quàm immensas strages ferociens edidit! Jam in sinu
Mariæ Virginis hic monoceros mansuetissimus decumbit, & dor-
mit. Cantic. 4. *Dilectus quasi filius unicornium.* Desuper S.
Thomas à Villanova Conc. 4. in Natali Domini: *Quid Filio DEI*
similium, quàm filius unicornium? captus est & ipse amore Virgi- *S. Thomas à*
Villa Nuova.
nis,

(F f) 2

nis, & majestatis oblitus, carnis vinculis irretitur. Confor-
miter Rupertus apud Cornelium à Lap. in Num. 23. Fortis-
simus Spirituum Deus, velut unicornis, id est, potentia singularis,
Deus incomprehensibilis, & invicta virtutis, virginei tractus
odore uteri, illique inclusus est, ut ex eo tantum comprehendi
potuit, & occidi. Sol Justitia Christus Deus noster in veteri Te-
stamento erat ut Leo rugiens, Deus ultionum, peccatores terri-
liter puniens, ut patet exemplis in sacris literis, sed ferventissi-
mo amoris calore, in uterum Virginis intrans, factus est totus be-
nignus, suavis, & humanus. S. Antoninus 4. part. titulo 17.
& 21. §. 4. & iterum Serm. 2. de coronat. Mariæ: Omnes indul-
gentias factas in veteri Testamento, non ambigo Deum fecisse, nisi
solum propter benedicta Virginis reverentiam, & amorem, qui-
buis eam Deus perhonorandam in cunctis suis operibus, ab eter-
no præordinavit; fasciculus myrrha fuit DEUS in veteri lege,
quia terribilis, sed inter Mariæ ubera factus est suavis & mitis.
Inquit Richardus à S. Laurentio lib. 4. de laudibus B. V. Coroni-
dem imponit S. Bonaventura in spec. cap. 13. Christus per man-
suetissimam matrem mansuescit, & placatur, ne se de peccatore
per mortem æternam ulciscatur. Undè S. Ephrem, Serm. 27.
Mariam propitiatorium totius mundi intitulat, ut quæ DEUM
toti mundo propitium reddidit, & placatum, suavem, mitem, &
misericordem. Imploratâ S. Spiritûs gratiâ Conceptibus verita-
tem eruemus.

CONCEPTUS I.

Confirmatio. Certum est infantes ex utero matris fortem inclinationem
 quandam ad matris mores adferre; eruditè Cassiodorus Variar.
 23. Iterum cause semper in semine sunt, fructus editus prædit
 auctores; ut radicis ingenium, edito agnosci solet fructu, & la-
 tex saporem servat scaturiginis, ut horrida spina infamat quali-
 tatem telluris, sic filii & parentum degeneres mores, aut lauden-
 das

das sapiunt virtutes. Relucent parentum mores in filiis, & uti solis egressus, solaris horologii, indicat umbra, ita parentum virtutes & vitia proles indicat. Perorat Naxera Comment. in Judic. cap. 17. §. 7. Lex dicit: Filii matrisant; & Guericus Abbas habet: Non degenerat à matre filius. Thomas à Villan. docet Serm. 3. de Nativ. B. V. Filii imitantur parentes, & parentes transfundunt in filios passiones animerum, mores, ingenia, & virtutes. Maria nunc Mater Christi fuit misericordissima, benignissima; audiamus Patres: *Quis misericordie tue, o benedicta! longitudinem, & latitudinem, sublimitatem, & profundum queat investigare, nam longitudo ejus usque in diem novissimum invocantibus eam subvenit universis, latitudo ejus replet orbem terrarum, ut tuâ quoque misericordiâ plena sit omnis terra, sic & sublimitas ejus civitatis superna invenit restaurationem, & profundum ejus, sedentibus in tenebris, & in umbrâ mortis obtinet redemptionem. Per te enim cælum repletum, infernus evacuatus est, instaurata ruina cælestis Jerusalem, expectantibus miseris vita perdita data est; sic potentissima, & piissima charitas, & affectu compatiendi, & subveniendi abundas effectu, est locuples in utroque. Scribit S. Bernardus Serm. 4. de assumpt. B. V. Adeo pietate replentur ubera tua, ut alicujus notitia miseria tacta, lac fundant misericordia, nec possis miserias scire, & non subvenire.* inquit Richardus à S. Victore cap. 23. in Cantica. A tam misericorde, piissimâ, & benignissimâ in omnes matre Maria, utpote Filius, Christus JESUS, misericordiam, pietatem, & benignitatem in mortales imbibit, ut de eo verba Jobi vera sint cap. 31. *Ab infantia crevis mecum miseratio, & de ventre matris meae egressa est mecum.* Optimè ad propositum nostrum S. Bernardus Serm. 1. de nuptiis in Cana Galil. *Quid de fonte pietatis procederet, nisi pietas, quid mirum, si pietatem exhibent viscera pietatis? nonne qui pomum in manu tenuerit, dimidiâ die, reliqua diei parte pomi servabit odorem, quantum igitur viscera illa virtus pietatis effecit, in quibus no-*

ven mensibus requievit. Hinc motus Petrus Cellensis lib. de panibus; misericordiam & pietatem Christi erga genus humanum vocat: *collactaneam misericordiam*, ideo collactaneam: nimirum sicut infantes cum lacte, lactatricum suarum mores imbibunt, ita Christus cum lacte misericordissimo matris, misericordiam, amorem, compassionem, pietatem, & mansuetudinem erga genus humanum imberit, ac suxerit. Pluribus hoc ipsum ulterius patet naturæ arcanis.

CONCEPTUS II.

Divus Antoninus parte 4. tit. 15. cap. 21. docet; solem in sidere cœlesti, in leone, esse calidissimum, tam hominibus, quam bestiis noxium. In signo Virginis ab intenso calore remittit, fit temperatus, suavis, ac mitis. Plutarchus & Plinius docent, salis maris aquam hoc remedio dulcem reddi; in ceram virginiam infundatur, ex hac omnem falsedinem deperdet, dulcis & suavis effluet. Gemma sub solis ardore dura, inclusa in concham, fit mollis & lenis. Deus in veteri lege; ignis consumens, ira, & furore succensus leo, descendens in Virginem Mariam, verbum caro factum, ecce Deus est totus pacificus, *Deus totius consolationis.* 2. ad Corinth. c. 13. *Deus pacis, & dilectionis*, & ad Ephel. 2. *Deus, qui dives est in misericordia.* Salsa, & marina hæc aqua, è cera virginei corpusculi egressa, dulcis nunc fuit perenniter; *fontis aqua salientis in vitam æternam.* Joan. 4. Et Isaiæ 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Gemma hæc durissima, in concha virginei uteri, ecce quàm mollis & mitis: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Matth. 11. Quod ulterius indicat B. V. Maria in Canticis Salomonis.

CONCEPTUS III.

Canticorum cap. 1. Sponsa S. Spiritus B. V. Maria Deum, fasciculum myrrhæ, & bothrum cypri intitulat: *Fasciculum myrrhæ*

myrrha dilectus meus mihi &c. botrus cypri dilectus meus mihi:
 Myrrha & botrus cypri contraria sibi sunt; myrrha est amara, &
 averfa, botrus cypri dulcis est, & fapidus. Deus myrrhae allu-
 milatus, Numen iratum denotat; dulci botro comparatus,
 Deum mitem, suavem, amorosum designat, quomodo ex myr-
 rhâ amarâ, ex irato factus est botrus dulcis, charus, dilectus
 Sponsus? patet Canticorum I. *Dilectus meus, inter ubera mea.*
 In Maria, ex Maria, mutatus est in alium, ex amaro in dulcem,
 ex aspero in mitem, & suavem. Audiatur Richardus à S. Lau-
 rentio lib. 4. de laud. B. V. *Fasciculus myrrha fuit Deus in veteri*
lege, sed inter ubera Maria factus est dilectus, ac suavis & mi-
tis: sicut enim sanguis in se horribilis, in uberibus efficitur lac,
quod dulce est, & delectabile ad bibendum, sic filius, qui in
lege veteri erat terribilis, inter ubera Maria factus est
mitis.

CONCEPTUS IV.

Invitat gratiosissima Virgo Maria omnes homines verbis
 Prov. cap. 9. *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum,*
quod miscui vobis. Quis hic panis, quodnam hoc est vinum
 mixtum? Glossa inquit: per panem & vinum, *unam Christi per-*
sonam, junctam divinitatem, & humanitatem intelligi. Opti-
 mus sensus; ast cur Christum verbum divinum, DEI Patris Fi-
 lium, Deum verum, de Deo vero, Maria panem *suum* nominat,
 cur vinum non simplex, sed *mixtum* dicit? Respondeo quæstio-
 ni: Dei Filium incarnatum panem *suum* intitulat; ut sicut pa-
 nis nutrimentum suave est omni homini, ita humana natura,
 quam de carne ac sanguine Virginis Christus accepit, divi-
 nam naturam aliàs rigorosam, & gravem, totaliter suavem,
 erga omnem hominem mitem effecit; divinam naturam, quæ
 ut vinum nimium generosum, non omni quadrabat, non om-
 ni suave veniebat, adeò natura humana, de carne, & san-
 guine Virginis assumpta, temperavit, ut Christus DEUS, jam
 omni

omni sit suavis, acceptus, conducens. Sic concludit S. Augustinus Serm. de assumpt. *Domina nostra fac per misericordiam, quam peperisti. Peperit autem Deum hominem, & hunc misericordem: de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.*

CONCEPTUS V.

David aquam concupivit de cisterna juxta portam Bethlemiticam. 2. Regum cap. 24. *O si quis mihi daret potum aque de cisternâ, quæ est in Bethlehem juxta portam; irruerunt ergo tres fortes castra Philistinorum, & hauserunt aquam de cisternâ Bethlehem, quæ erat juxta portam, & attulerunt ad David, at ille noluit bibere, sed libabat eam Domino.* Cur aquam, quam adeo concupivit, non bibit, sed effudit? an fors mysterium per hanc aquam cisternæ significatam concupiscit David? Sic assentitur Glossa: *Aquam non sitiebat, sed nasciturum in Bethlehem de Virgine Christum prævidebat, cujus lavacrum, & sanguinem sitiebat;* ergo per illam aquam cisternæ in Bethlehem David Christum intelligit: quæstio nunc oritur, cur Christum David per aquam cisternæ, & cur non per aquam fontis, vel per aquam rivi, aut fluvii exprimit, ac indicat? *Experientiâ teste constat, fontium aquas non semper limpidas, sed turbidas quandoque scaturire, fontanæ, non omnes sanæ sunt, bonæ, ac salubres; rivi inconstantes sunt, & variabiles, nunc aquas propinant, levi intervallo exsiccati, aridi, viatori refrigerium, ac haustum denegant; fluvii communitè violenti, ac rapidi sunt, gravia damna, ac noxas afferentes, & causantes; econtra aquæ in cisterna clausæ, semper limpidae, bonæ, ac salubres sunt; aquæ in cisterna non variantur, non tepescunt, sed ad gustum, frigidam propinant; aquæ in cisterna non sunt violentæ, aut damnificantes, sed semper pacificæ, & quietæ consistunt; non ergo Christum, natum hominem de cisterna, utero, inquam, B. V. aquæ fontanæ turbidæ, noxiæ, aut insalubri, sed aquæ cisternæ, semper limpi-*

limpidæ, salubri, suavi, ac sapidæ; non aquæ de rivo, variabili, sed aquæ cisternæ semper constanti, ac refrigeranti; non aquæ fluviali rapidæ ac violentæ, sed aquæ cisternæ, semper pacatæ ac miti David comparat, ad indicandum, quàm suavis sit Dominus Christus Mariæ Filius omni homini favens, omnem recreans suis gratiis, erga omnem pacatus, suavis, & mitis, suâ infinitâ misericordiâ: sic docet glossa in citatum caput: *David aquam non bibit, sed sedit; sitiebat enim fontem aeternum, qui non periculis quaritur alienis, sed aliena pericula abluit.*

CONCEPTUS VI.

S. Mater Ecclesia Mariam Virginem *Speculum justitiæ* intitulat; cur speculum? Speculum imaginem, quam edit, & præsentat, semper inverso modo præsentat; nimirum mutatur manus dextera in sinistram. DEI manum dexteram dico olim fuisse manum justitiæ divinæ, graviter punientem, & castigantem; manus sinistra fuit misericordiæ, gratiæ, & benignitatis; citò & festinanter, dexterè punivit olim Deus, misericordiæ dona, tardè ac parcè, sinistra quasi manu distribuit; In speculo, B. Virgine, ecce inversa est natura divina, jam sinistra utitur pro dexterâ; citus, festinans est ad misericordiam, tardus & parcus ad puniendum. Misericordia obtinet dexteram, sinistram verò justitiæ; magis clemens est & misericors, quàm strictus & severus erga nos peccatores. In visu demonstratum est Joanni Apoc. cap. 1. *Vidit is, similem filio hominis, & habebat in dexterâ suâ stellas 7. & de ore ejus gladius utrâque parte acutus exibat.* Mirabilis visio! stellas fert in manu dextera, & gladium in ore; quid per gladium, quid per stellas intelligendum est? non erravero per stellas divinam misericordiam significari, stellæ enim in bonum terræ creatæ sunt: gladius justitiæ est symbolum; Christus ergo apparuit Joanni, in manu sua

Pars II,

(Gg)

suâ

suâ dexterâ stellas, misericordiam deportans, ut significaret: ex quo homo factus, quàm promptus, facilis sit ad communicandos suos cœlestes favores, & gratias; econtra gladium gestat ore, ut indicaret: quàm ei sit arduum ac difficile punire mortales, ut arduum ac difficile est, ore gladium ferendo, vibrare, & ferire. Ita concludit Conceptum hunc doctissimus Hai in Apocal. *Christus in dexterâ manu tenebat stellas, & non gladium, ut indicaret se totum esse in offerendis muneribus & gratiis, parcissimum autem in inferendis suppliciis.*

CONCEPTUS VII.

Quæstio est inter Doctores, ex quâ parte corporis B. Virginis, corpus Christi formatum sit, an ex capite, uberibus, vel ex latere ejus? Salmeron tom. 3. cap. 9. uti & Abulensis in caput II. Levitici, volunt ex recentissimis sanguinis guttulis, quibus rectè tunc, ut Angelus Mariam salutaverat, cor B. Virginis obrutum erat, corpus Christi formatum fuisse; judicium hoc eximium solidant ex eventu, qui ad salutationem Angelicam contigerat; Lucas scribit cap. 1. Mariam ad ingressum & salutationem Angeli turbatam esse, quasi perterritam expavisse, & consternatam hæsisse; *Turbata est in sermone ejus, & cogitabat, qualis esset ista salutatio.* Tradunt nunc naturæ periti, quod ad inopinatam turbationem humanæ mentis, cor aliquot guttulis sanguinis perfundatur, ac obruatur, quæ sanguinis perfusio, ac obrutio, hominem hæsitare facit, & turbatum ostendit, unde Germani proverbium habent; si quem repentè turbatum, perplexum advertunt, solentes dicere: huic aliquid super cor irrepit: *Turbata est in sermone ejus sancta Maria, cor sacratissimum, ad tam inopinatum nuncium, recentis sanguinis guttulis opertum, & obrutum fuit, quas sacratissimas sanguinis guttas, de corde virgineo S. Spiritus absterfit, & ad opus incarnationis assumpsit, in utero intactæ Virginis corpus JESU Christi formavit.* At cur rectè corpus Christi JESU ex guttis san-

guinis

guinis è corde turbatæ Virginis promanantibus, in utero ejus efficere voluit? cor, in genere, sedes est amoris, per venas cordis affurgit amor, benignitas, clementia, misericordia, cor magis amorosum, pium, suave, ac misericors non fuit corde Beatæ Virginis de guttis sanguinis, è corde Beatæ Virginis emanantibus, S. Spiritus ergò formavit corpus JESU, ut noscamus, taliter formatum DEI Filium, alium fore non posse, quàm *cordialem*, suavem, mitem, clementem, misericordem. Sic concludente Bonav. in Psalterio Virg. *Quippè quæ stillavit è cordis venulis purissimi sanguinis guttas, ex quibus formaretur Christus ad misericordiam eximiè propensus.* Præclare Hugo de S. Victore lib. 1. miscell. 86. *Christus in cælo ex Patre sine Matre Deus, Christus in terrâ ex Matre sine Patre homo, in cælo qualis Pater, talis Filius, in terrâ qualis Mater, talis Filius; in cælo cum Patre, æternus & immensus, in terrâ cum Matre incorruptus, & mansuetus.*

CONCEPTUS VIII.

Postquam B. Virgo Maria ex castissimis suis visceribus JESUM in mundum peperisset, rarò JESUM sedentem, communitè stantem invenio: *Ipse stabat secus stagnum.* Lucæ 5. *stetit in loco campestri.* cap. 6. *JESUS stetit in medio eorum, & dixit: Pax vobis.* Lucæ 24. *Medius stetit vestrum.* Joan. 1. *In die autem novissimo magna festivitatis, stabat JESUS, & clamabat.* Joan. 7. *Stetit JESUS in littore, dum Apostoli piscarentur.* Joan. 21. *S. Magdalena: Vidit JESUM stantem, & nesciebat, quia JESUS est.* Joan. 20. *Stephanus: Vidit JESUM stantem à dextris DEI.* Act. cap. 7. *Christum Joannes vidit: Agnum stantem, tanquam occisum.* Apocalypf. 5. *Cur stat dulcissimus JESUS in terra, & in cælo, quamvis sedes à dextris DEI posita sit? Informat nos S. Gregorius ex*
 (Gg) 2 hom.

hom. 29. *Sedere judicantis est, stare verò propugnantis, vel adjuvantis.* Homo JESUS stat, in terra, & in cælo, propugnare, adjuvare hominem, misereri mortalium, ex misericordissimis Mariæ visceribus assumpsisse, demonstrans: Consolatissimè S. Bernardus in spec. lect. 11. *Securum jam habet homo accessum ad Deum, ubi mediatorem cause sue Filium habet antea, & ante Filium Matrem, Filius nudato corpore Patri ostendit latus & vulnera, Maria Filio pectus & ubera, non potest ullo modo fieri repulsa, ubi concurrunt, & perorant, tanta charitatis insignia.*

Epilogus.

Hortor ergò omnes cum eodem S. Bernardo Serm. 4. de Assumpt. Virginis: *Ad hunc misericordia cumulum tota sollicitudine miseria nostra recurrat, exaudiet utique Matrem Filius, & Filium Pater.*
Amen.



IN FESTO NATIVITATIS
B. V. MARIÆ.

CONCIO TERTIA.

Liber generationis. Matth. 1.

Textus.

Liber est Maria, in quo notantur peccato-
res, ne pereant.

Thema.

MAntuani in solemnâ quadam pompâ insignem B. V. *Exordium.*
beneficentiam, ac patrocinium emblemate significa-
turi, altare depinxerunt, cum Lemmate: *Tuebitur*
omnes, verbis è Virgilio lib. 2. *Æn. 8. 523. mutuatis:*
Hæc ara tuebitur omnes. S. Methodius orat. de Hypapante;
Mariam, *Altare animatum* intitulat: debitâ devotione ego cli-
entum infimus animato huic altari, Virgini Matri inscribo Lem-
ma: *Hæc ara tuetur omnes*, etiam infames, ac maximos pecca-
tores, ita me instruunt eximii Mariæ cultores: Aloysius Novar. *SS. Patres.*
umbrae Virg. num. 555. scribit: *Est Maria universalis interpet-*
latrix, omnium mater, turris David omnes protegens, est refu-
gium inomni tribulatione. Huic elogio affinis est hymnus græ-
cus apud Theophilum Rainaudum, lib. nomenclat. Mariana fol. *Aloysius*
76. *Est Maria tutela, murus, firmamentum, refugium omnium.* *Novarinus.*
Similiter Andreas Cretensis: *Te universus mundus commune* *Reinaudus.*
continet propitiatorium. Ad Mariam Virginem, scribit S.
Bernardus Serm. 2. in Cantica: *Sicut ad medicum, sicut ad ar-*
canum Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium seculo-
rum, respiciunt & qui in cælo sunt, & qui in terrâ, & qui in
inferno habitant, & qui nos præcesserunt, & nos, qui sumus,
(Gg) 3 & qui

- & qui sequentur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis;
 S. Bernardus illi, qui sunt in celo, ut restaurentur, & qui in inferno, ut
 eripiantur, & qui precesserant, ut Propheta fideles inveniantur,
 & qui sequentur, ut glorificentur. Velut ardore solis defluit
 S. Amadeus. glacies, sic ab ejus facie deperit inimicorum acies, eaque jubente
 nil adversi subsistit. scribit S. Amadeus hom. 8. in laud. B. V.
 S. Thomas Maria stella maris est, quia sicut per stellam maris navigantes
 Aquinas. diriguntur ad portum, ita Christiani per Mariam diriguntur ad
 gloriam. docet S. Thomas opus. 4. Auree perorat Bernardus
 de Busto, in Mariali parte 12. Serm. 2. de corona B. V.
 O Christiane bona nova tibi annuncio, sicut Maria apud Deum
 omnibus Sanctis est potentior, ita apud Deum pro nobis diligen-
 tius intercedit, & ferventius, ideoque, o peccator! ne te de-
 sperationis barathro immergi sinas, sed confidenter ad potentis-
 simam hanc, clementissimamque advocatam recurre, ipsa tibi
 Bernardus succurret sine dubio, quia potest, si enim potuit Deum facere
 de Busto. hominem, & Creatorem creaturam, impassibilem mortalem, im-
 mensum parvulum, aeternum temporalem, divinamque Maje-
 statem sub formâ servi. Et si blanditiis, & virtutibus potuit
 trahere Deum de celo ad terram, multò majori facilitate pote-
 rit nos de terrâ ad cælum pertrahere. Sape quos justitia filii
 Idiota. potest damnare, matris misericordia liberat, quia thesaurus Do-
 mini est, & thesauraria gratiarum Dei. scribit doctissimus
 Idiota in prologo de contempl. B. V. Conformiter Richar-
 dus à S. Laurentio lib. 2. part. 1. de laud. B. V. Sape quos justitia
 Richardus à filii damnat, matris misericordia liberat; & iterum lib. 11.
 S. Laur. de laud. V. Ad ipsam fugiet peccator, & liberabitur, hac de-
 fendit quoslibet, & quantumlibet peccatores. Consolatissime
 S. Germanus orat. de zona B. V. Nos, qui sumus condemnati,
 S. Germanus. & non audemus intueri cæli amplitudinem, tuis interpellatio-
 nibus, & intercessionibus, Deo nos efficis familiares, das salutem,
 & ab

& ab eterno liberat supplicio. Imploratâ S. Spiritûs gratiâ,
thema assumptum Conceptibus stabiliam.

CONCEPTUS I.

S. Joanni Evangelistæ remonstrata est S. Virgo Maria Apoc. ^{Confirmatio.}
12. sole circumdata, stellis coronata: *Mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum* 12. Cantic. 6. etiam ab Angelis *pulchra ut luna deprædicatur*. Quid nobis hoc mysterii indicat, quod B. Virgo sole vestita, stellis coronata, describatur? Causam, Deus cur hæc luminaria, solem, lunam & stellas in firmamento posuerit, noscimus ex Genesi cap. 1. nempè ut indefinenter nobis viatoribus luceant; adeò, ut si unum luminare abest, alterum adsit, in defectu solis, luna, luna obtenebrata, stellæ luceant, & scintillent: unde Joannes Geomatra & Ludovicus Veruccius his cœli luminaribus Lemmata subscribunt: *Lumen eunti communicant, & conjungunt ima summis*. Mariam Virginem Angelî cœli luminaribus, soli, lunæ, & stellis comparant, & Joannes, his luminaribus Mariam indutam, caput coronatum stellis vidit; ad indicandum, Mariam omni tempore, omni in loco, & occasione, nobis viatoribus, maternis suis gratis præluere, nos infimos summo Deo, suâ intercessione, inspiratione, ac illuminatione, conjungere. Huc faciunt verba S. Bernardi Serm. de signo magno: *Omnibus omnia facta est, sapientibus, & insipientibus copiosissimâ charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiâ senum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi: captivus redemptionem, ager curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus letitiam*. Eleganter perorat Doctissimus Naxera comment. in Judices cap. 11. §. 5. *Nocte deerrantibus blando auxiliatur subare Maria, ut in viam possint redire justitia &c. luna candidissima cœlo præsidet, & mundo Diana ad instar quasitura feras ima vallium perlustrat, & absque errore montibus errat, totumque hoc ut ad salutem adducat; omnes recipere, excludere nulum,*

lum, solemne munus virginis est. Quadrat Mariæ lemma Geomatræ: Lumen eunti.

*Salve Virgo viatorum socia impigra, lumen
Errantium, lustrans his iter in tenebris.*

Quadrat stellis coronatæ Virgini Verucci scriptum: *Ima summis*: Maria maternâ suâ beneficiâ homines peccatores, à terrâ, ad cœlestis gloriæ fastigium, manu ducit, sic ima jungit summis, terrenos cœlestibus, peccatores & hostes, gratiæ, & amicitia Dei.

CONCEPTUS II.

Sponsus Cantic. 1. dilectam, quæ Maria est, ad pascua mandat: *Pasce hædos*: quod optimè pascat, patet Canticorum 4. ubi greges hædorum, & caprarum ascendere fecisse laudatur, de monte, de lavacro: qui sunt hi hædi, & quæ horum ascensiones? hædorum nomine peccatores intelligi, docet Evangelista Matth. cap. 24. *Statuet oves à dextris, hædos verò à sinistris.* Horum fidelissima cuatrix est B. V. Maria, horum hircorum, gravissimorum peccatorum, innumeras turmas è lavacro penitentia, ad montem gloriæ ascendere fecit: Ita S. Anselmus: *Tam oculi, quàm caput, & dentes Maria; sunt generantes Deo filios ex utroque populo, scilicet Judaico, & gentili.*

CONCEPTUS III.

Pincerna Pharaonis ob crimen in carcerem conjectus, vita periclitatus est, commiserando innocens Joseph sæpius hunc miserum invisit, suaviter consolatus est: accidit ut eundem præter morem tristiore inveniret, rogans ergò Pincernam sibi indicaret, quæ causa sit metus ejus tristis ac dejecti vultus? Respondit Pincerna; se elapsâ nocte somnium passum esse, quod mentem ejus inquietaret; instat bonus juvenis ediceret somni seriem, speculaturum se desuper, ut portentum indicare queat. Narrat Pincer-

Pincerna vitium: *Videbam coram me vitem, in quâ erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, & post flores uvas maturefcere, calicemque Pharaonis in manu mea.* Genes. 40. Salva tecum res est, respondet Joseph: *Hæc est interpretatio somnii, tres propagines, tres adhuc dies sunt, post quos recordabitur Pharaonis ministerii tui, & restituet te in gradum pristinum: dabisque ei calicem juxta officium tuum, sicut ante facere consueveras.* Vitis somniata, Pincernæ fuit salus, ut in gratiam Regis redierit, ac evenerit indubitatum augurium. Maria vitis est mystica: *Eccles. 24. Ego quasi vitis fructificavi. B. Dei genitrix quasi vitis fructificavit, quia Christum verum botrum, qui nos vino gratiæ & gloria inebriare non desinit, generavit.* inquit Hugo de Sancto Victore Serm. 55. Vitis hæc Virgo sacratissima maximorum peccatorum est salus, & præsidium, hæc desperatos criminum latrones, carceris dæmonis mancipatos sclavos, suo suffragio vinculis æternæ mortis liberat, & gratiæ restituit. Audiatur Hesichius: *Est enim vitis Mariæ enigma, ubi hæc Virginis umbra, vera fuit salutis tutela. Vitis vera,* inquit Buceus hymno græco part. 15. *que racemum maturum aluit, vinum stillantem, quo recreantur animæ.*

CONCEPTUS IV.

Traditio docet B. V. Mariam in vallem Josaphat ab Apostolis tumulatam esse: cur in vallem Josaphat? cur non honoratius in sepulchrum Christi, hoc Dei tabernaculum, ac arca cœlestis reponitur? cur rectè in vallem Josaphat? Ex prophetia Joëlis cap. 3. discimus, in valle Josaphat futurum strictum Dei judicium in peccatores: *Congregabo omnes gentes, & deducam eos in vallem Josaphat, & disceptabo cum eis ibi super populo meo, & hereditate mea Israel.* In hoc tremendo judicio, Christus comparebit Judex strictissimus, *qui reddet unicuique prout gessit in corpore sive malum, sive bonum.* Nulla in judice misericordia, nulla in Apostolis erga peccatores commiseratio! ergonè undique derelicti, miseri sunt peccatores? adhuc spes, & refugium pro eis, in valle Josaphat

Pars II.

(Hh)

Maria

Maria sepulta jacet, peccatorum advocata, ut ipsius merito, & intercessione salventur, qui alias iusto iudicio damnarentur. Audi Anselmum de Excellent. Virg. cap. 4. *Quos enim Deus non potest salvare per suam iustitiam, Maria salvat per suam misericordiam.* Et Gerson de mendic. Spirit. part. 2. *Virgo gloriosa, spes certa, & refugium singulare peccatorum. Nihil tibi impossibile, loquitur de Virgine beatissima B. Petrus Damianus Sermon. in Nativ. cui possibile est desperatos in spem beatitudinis relevare.* Revelatum est Joanni.

CONCEPTUS V.

Vidit Joannes, *sedes posita est in caelo, & super sedem sedens, & iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdina, & procedebant de throno fulgura, & voces, & tonitrua, & in conspectu sedis tanquam mare vitreum.* Apocalypf. cap. 4. Quod per hanc visionem demonstrata sit dies extremi iudicii, absque controversia est; in illa enim die fulminabit sententiam irae iustus Deus in peccatores; quid juxta sedem iris, seu arcus, quid mare significat? Iris seu arcus signum est propitiationis, ut patet Genes. 9. *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram.* Mariam intitulat Richardus à S. Laurentio lib. 6. de laud. B. V. *Iridem Deum iratum reconciliantem,* Mariam tremendam circumdabit sedem iudicantis, ut peccatori Deum reconciliet; ita in persona Virginis perorat S. Antoninus part. 4. tit. 15. cap. 44. §. 9. *Decet me in glorificatione esse juxta filium meum per intercessionem continuam pro genere humano, ut cum Deus peccatis hominum diluvio flagellorum minatus fuerit terram subvertere; ego ut arcus appaream in conspectu eius, indeque recordatus fœderis sui repropitiatur eisdem, ne dissipet mundum.* Conformiter S. Bernardinus Senens. *Profecto ipsa est arcus fœderis sempiterni, positus in nubibus caeli, ut non interficiatur omnis caro.* Mare omnes aquas in sinum suum congregat, sed largiter iterum in terram venas diffundit; mare gratiarum Ma-
ria

ria circa thronum irati Dei iudicis adstat, inibi pro peccatoribus ut salventur, aquas gratiarum abundè effundens: *Mare interpretatur Maria*, scribit Dionys. Carthus. lib. 3. de laud. V. *quia sicut nullus valet guttas maris dinumerare, sic misericordiam Maria nullus valet exprimere.* Optimè ad meum intentum Richardus à S. Laurentio lib. de laud. B. V. cap. 3. *Per Mariam tanquam per mare venit Christus in mundum, & per eam tanquam per mare transeunt veri Israelite ad portum felicitatis aeternae, submersis Aegyptiis, id est, demonibus, & vitiis.*

CONCEPTUS VI.

Nunc capio, cur David Mariam, nostram terram vocet: *Terra nostra dabit fructum suum.* Psalmo 84. Cur nostram terram, & non potius nostrum caelum, Mariam intitulat? Explico me tragico eventu, Num. 16. Dathan, & Abiron duo peccatores corpore & animâ vivi in profundum inferni absorpti sunt: *Descenderunt vivi in infernum aperti humo.* Causam apponit sacer textus: *Dirupta est terra sub pedibus eorum.* Terra quasi fugit sub pedibus horum peccatorum, terra se subtraxit, unde non habuerunt, ubi se tenerent, firmarent, reclinarent. Mariam ergò David terram nostram intitulat, peccatorum, inquam, fundamentum, manubrium, quo se retinent, ne ab irâ Dei percussi æternum pereant: ita concludit Conceptum Richardus à S. Laurentio lib. 8. de laud. B. V. *Maria est terra, quia nobis interponitur, & abyssus; qua subtracta, sicut Core, Dathan, & Abyron Num. 16. statim descenderunt in infernum viventes, sic subtracto nobis adiutorio Mariae statim labimur in peccatum, & inde infernum.* Quia ferè, quidquid vivit, vivit de terrâ, sic & quidquid vivit per gratiam, per Mariam vivit, qua genuit vitam, idè ipsa dicit, *in me gratia omnis vitae.* Hæc est terra promissionis, *cujus fructus, ficus, uva, malogranatum: uva, qua Christum inebriat, & facit oblivisci peccatorum nostrorum.*

(Hh) 2

CON-

CONCEPTUS VII.


Isaias refert cap. 6. Seraphinum candente carbone, quem forcipe prendiderat, ad se advolasse, & tetigisse, & non aruisse, aut nocuisse, imò utiliter profuisse: *Et volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Per carbonem ignitum, Deum iratum, per forcipem carbonem tenentem B. V. intelligit S. Anastasius Sinaita lib. 8. Hexamet. *Forceps autem Christi per duas pinaculas eum tenens, est intemerata ejus Mater, Maria iratum tenet Deum, ne peccatores urat, sed ob intercessionem Virginis quàm misericordissimè, à peccatis, & maculis scelerum purget, & emundet.*

CONCEPTUS VIII.

S. Spiritus de collo B. Mariæ inquit Cantic. 9. *Collum tuum sicut monilia:* S. Gregorius legit: *Collum tuum sicut torques.* Torque, & monili, ligantur, & constringuntur manus, ne ferire valeant, aut nocere: An fors idèd collum B. V. uti torques, precatio ejus ad Filium iratum, manus ejus ligat, ne peccatores feriat? Ita vult S. Ambrosius orat. ad B. V. *Maria toti mundo despectum, derelictum peccatorem materno affectu complectitur, nec deserit eum, quoadusque Deus placatus, in gratiam peccatorem receperit.*

Clamemus ergò ad B. V. hortor singulos, cum S. Euthimio de Zona Deiparæ: *Respice, ô Sanctissima Virgo! servos tuos, in te omnem spem nostram collocavimus, & in te vivimus, gloriamur, & sumus. Scimus enim, scimus fore, ut non hanc nostram frustremus expectatione, aut fallamur, aut decidamus; tua enim sumus hereditas, ô impolluta!*

Amen.




 IN FESTO S. MATTHÆI
 APOSTOLI.

CONCIO PRIMA.

Vidit hominem. Matthæi cap. 6.

Quos Deus respicit, hos erigit.

Textus.

Thema.

Rerius Valerianus lib. 14. titulo: Oculi Divum narrat, *Exordium.*
 Ægyptios pro Deo Basiliscum coluisse, si nunc Basiliscum oculis apertis se intuentem conspexerant, fausta sibi utpote à Deo intuiti, promittebant, sin oculis clausis Basiliscum viderunt, mala imminencia timebant: audiamus verba Pierii: *Hunc simul atque oculis apertis proferebant, universâ letitiâ, atque hilaritate profundebatur, perinde ac si Deoram oculi eos aspicerent, opemque presentem omnibus pollicerentur: quod si clausis cum oculis intulissent, ibi tam omnia mærore, ac luctu confundi.* Quod Ægyptii de Deo suo sibi imaginabantur, hoc in veritate evenit in DEO vero ac unico, nempe, quos Deus respicit, intuetur, favoribus, gratiis, ac benedictionibus replet, ac ditat; audiamus textus: *Illuminet vultum suum supernos, & misereatur nostri, ut cognoscamus in terrâ viam tuam, & in omnibus sentibus salutare tuum.* Psalmo 66. *Oculi Domini super timentes eum, ut eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.* Pl. 32. & 31. promittit Deus: *Intellectum tibi dabo, & instruam te in viâ hâc, quâ graderis, firmabo super te oculos meos.* De his oculis divinis ulterius canit David Pl. 24. *Respice me, & miserere mei.* Adeò ut respici à Deo oculis benignis intueri, idem sonet secundum Hebraum, & Pagninum: quàm, *suaviter consulere:* secundum Ariam Montanum:

Textus Sacra
Scriptura.

(Hh) 3

In opti-

- In optimum cogitare, & intendere. Secundum S. Hieronymum, consultare in bonum, ac prosperum eventum. Audiamus nunc quoque Patres: Non te sic spectat Deus in agone certantem, ut populus aurigam, clamare enim novit, adjuvare non novit. Vir res subministrare non potest, homo enim est, non Deus; Hic enim forte dum spectat, plus laborat sedendo, quam ille luctando, Deum quando spectat certatores suos, adjuvat eos invocantes. scribit S. Augustinus ferm. 25. de tempore: Quid boni defuit presente omnipotente Deo, tum provenerunt cuncta bona; inquit Philo lib. 1. de migrat. Abrahæ, & iterum lib. de agricult. Impossibile est, deesse commodum aliquod, ubi Deus presidet, solitus plena, perfectaque bona, largiri rebus omnibus. Optimè S. Cyrillus Alexan. lib. 3. in Joannem: Cedit omnis perturbatio, cunctaque pericula desinunt, cum Christus adsit. Beati redduntur, ad quos propitius respicit Deus, quoniam intuitus ejus beneficium est. scribit Cassiodorus in Ps. 10. Conformiter S. Petrus Chrysologus Serm. 35. Hoc universitas sentit, ex usu de felicibus dicendo: Vidit illum Deus. Sic & Salvianus habet lib. 2. de gubernat. Dei. Aspicere justos homines Deus dicitur, utique ut conseruet, & protegat, aspectus divinitatis munus est conservationis humane. Quid est respicere Deum, (quærit Sanctus Gregorius lib. 30. moralium cap. 3.) nisi ab iniquitate in melius commutare, convertit namque, quem respicit Deus. Hinc Venerabilis Beda in cap. 26. Matth. scribit: Respicere Dei, est misereri, ideo respectus divina misericordie est nobis necessarius. Concludo cum Tito Bostrensi in Catena Divi Thomæ: Respici à Deo, sufficit ad salutem. DEI gratiâ invocatâ, desuper Conceptus audiamus.*

CONCEPTUS I.

- firmatio.* Academicus cœlum tot oculis quot luminaribus terram intuens hoc lemmate notavit: Dum spectat, dirat: sole, luna, & stellis

& stellis, inquam, dum terram spectat, intuetur, & terram ditat, frugum abundantiam divitem reddit. Non aliter Deus cœli Dominus, dum terram, terrestria hæc & sublunaria clementer aspiciat, & intuetur, unâ suo clementi aspectu ditat, abundare facit, fructuum suavitate, & dulcedine, pace, & tranquillitate, aëris sanitate, & salubritate: ita Philo lib. de agriculturâ: *Impossibile est deesse commodum aliquod, ubi Deus presidet, solitus plena perfectaque bona, largiri rebus omnibus.* Exemplum sint filii Israel, de quibus David Ps. 104. *Eduxit eos cum argento & auro, & non erat in tribubus eorum infirmus &c. Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem, ut luceret eis per noctem, petierunt, & venit coturnix, & pane cœli salutavit eos, dirupit petram, & fluxerunt aqua, abierunt in sicco flumina &c. Et eduxit populum in exultatione, & electos suos in letitia, & dedit illis regiones gentium, & labores populorum possederunt &c.* Videamus in specie Dei largas benedictiones: *Dominus enim Deus tuus introducet te in terram bonam, terram vivorum, aquarumque & fontium, in cuius campis & montibus erumpent fluviorum abyssi, terram frumenti, hordei, ac vinearum, in quo ficus & malagranata, & oliveta nascuntur, terram olei, ac mellis, ubi absque penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantiam perfrueris.* Deuter. cap. 8. & iterum cap. 28. *Faciet te Dominus Deus excelsiorem cunctis gentibus, quæ versantur in terrâ, venientq; super te universa benedictiones ista; benedictus tu in civitate, & benedictus in agro; benedictus fructus ventris tui, & fructus terra tua, fructusque jumentorum tuorum, greges armentorum tuorum, & caula ovium tuarum. Benedicta horrea tua, & benedicta reliquia tua; benedictus eris ingrediens, & egrediens.* Unde Israël, & in specie terræ Chanaan, tanta divitiarum benedictionum rerum omnium prosperitas, & abundantia? Dicit causalem liber Exodus cap. 2. & Deuter. cap. 11. *Respexit Dominus filios Israël. Quam (terram & populum inquam) Dominus Deus tuus semper invisit, & oculi illius in eâ sunt à principio anni usque ad finem ejus.* Deuter. 11. Aspectus Dei tam felices fecit Israelitas, tam fructiferam reddidit patriam

patriam, solum, & terram: terram manantem lac & mel. *Deus dum spectat, dicit: Audiatur Genebrardus commentando in Ps. 47. Fluebat lacte & melle, non quidam loci natura, sed Dei benedictione de cælo spectans pluvias, quam Dominus Deus inrusebat, & oculis suis intuebatur à principio Anni usque in finem.*

CONCEPTUS II.

Annalibus æternis inscribi, ac tabulis marmoreis indelebiter insculpi David præcipit Ps. 101. *Scribantur hac in generatione a terâ, & populus, qui creabitur, laudabit Dominum;* quid illud tam memorabile, tam magnificum? nominat illud David: *Respexit de excelsis Sancto suo, Dominus de cælo ad terram prospexit.* Et hoc sit tam memorabile, tam beneficum? Deum de cælo ad terram prospicere? ita est: cum spectat, dicit. An non populi Israelis multiplicatio numerosissima in terrâ Ægypti memorabile, ac ingens beneficium? audire libeat Exodi cap. 1. *Filii Israel creverunt, & quasi germinantes multiplicati sunt, ac roborati impleverunt terram.* Undè tantum multitudinis robur? dicit sacer textus Levitic. 26. *Respiciam vos, & crescere faciam.* Aspectus benignus Dei filios Israel multiplicando roboravit; Abel benedictus à Deo, causa: *Respexit Deus ad Abel.* Genes. 4. Quæ creatura magis benedicta, quàm B. V. Maria? causa: *Respexit humilitatem ancille sue.* Luca 1. Quàm benedictus ac felix hodiè Matthæus, et peccatore fit justus, ex telonario Apostolus, Evangelista, ac Sanctus Dei. Causa: *Vidit hominem sedentem in telonio;* aspexit eum Christus Dei Filius: quàm optimè S. Gregorius Papa: *De cælo ad terram aspexit, ut cælum fieret, qui terra fuit.* Verissimum est: *Deus dum spectat, dicit.*

CONCEPTUS III.

Joannes Ferrus fortunæ effigiem hoc Lemmate donavit: *Aspectu beat.* Quem fortuna aspicit, beatum facit, & felicem: Certissimum hoc est de benigno Dei aspectu, & intuitu; *Aspectu beat.*

beat. Beati redduntur, ad quos propitius respicit Deus, quoniam intuitus ejus beneficium est. ita Cassiodorus in Ps. 10. Noverat hoc afflictus ille parens Lucæ cap. 9. Pater infelix erat, cujus filius à spiritu maligno gravissimè cruciabatur: *Et ecce spiritus apprehendit eum, & subito clamat & elidit, & dissipat eum cum spumâ, & vix discedit dilanians eum.* Descendente JESU de monte in turba hominum immixtus hic afflictus pater, Salvatori occurrit, supplices ad divinum hunc medicum fudit; desideratis fors audire quâ in formâ? fors ita perorat: O suavissime Domine, ecce filius unicus, quem habeo, maligno cruciatur spiritu, enixè rogo, tuâ divinâ potentiâ, liberare eum, & curare digneris, ô impone ei manum, ut hic nefarius fugiat spiritus, impera, ut abscedat: non his perorat formulis, inusitato utitur modo: *Magister obsecro te, respice in filium meum.* Non orat, ut nefario spiritui imperet abutitur, non precatur manus filio imponat, ut salvetur, non supplicat specificis verbis, filium à Diabolo ut liberet, ac sic felicem, ac beatum reddat; solum precatur, filium suum aspiciat, *obsecro te, respice in filium meum.* Certus hic parens, JESUS clementer aspiciat filium suum, & fugiet nefarius spiritus, liber à maligno hospite, filius ter felix, & beatus erit: *Aspectu beat.* Desuper doctissimè Titus Bostrensis in Cat. S. Thomæ: *Sapiens hic videtur esse, non enim dixit Salvatori, fac hoc vel illud, sed respice, hoc enim sufficit ad salutem. Respicere enim Dei, est misereri.* inquit Beda in cap. 26. Matth.

CONCEPTUS IV.

Jacob Genes. 49. oculos Judæ filii sui dilaudans, pulchriores vino esse dicit: *Pulchriores sunt oculi ejus vino.* Quid hic mysterii latet? volunt Doctores, Jacob, cum de filio suo Juda differeret, propheticè locutum fuisse de excellentia Messîæ, quem ille tam avidè desideravit videre in carne, & quia prævidit in spiritu, quod oculi Christi Domini, maximos operaturi essent effectus, vino sacratissimos oculos comparat: sed cur vino? vino subscribere valeo: *Dat robur ac vires,* conformiter verbis Salomonis Prov. 31.

Pars II.

(II)

Vinum

Vinum his, qui amaro sunt animo; oculi Dei ergo optimè comparantur vino, uti hoc dat vires & robur, ita clemens intuitus Dei, vires addit, roborat, animat, vivificat. Aspectus enim divinitatis propitiæ, munus est conservationis humanæ. inquit Salvianus lib. 2. de gubernat. Dei, & Psalmista teste: Oculi Domini super timentes eum, ut eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame. Pl. 32.

CONCEPTUS V.

Struthionem ajunt ob gravitatem corporis, ovis non infidere, sed solis calori exposita ova fixissimè tamdiu intueri, donec pulli prodeant; Academicus inscribit Lemma: *Format obtutu*. Hoc rectissimè de clementi Dei intuitu prædicatur; *format obtutu*: quos Deus clementi oculo aspicit, hi prodeunt recentes pulli, regenerandi in vitam æternam; exemplum sit Nathanaël. *Quia te vidi sub ficu, credis.* Joannis 1. Ecce fidei, quæ vita est animæ, initium, principium, & origo, adscribitur Filii Dei clementi aspectu; salus quàm maxima Zachæo obtigit: *Eò quod & ipse sit filius Abrahæ*, Zachæi vitæ spiritualis initium, ac animæ salutis fundamentum, constitit in clementi Jesu intuitu, & aspectu Zachæi: *Suspiciens Jesus, vidit illum.* Lucæ 19. Mundus miratur, quòd Dismas famosus latro in ultimâ vitæ horulâ cælo generatus, filius factus sit vitæ æternæ: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Unde tanta salus & felicitas huic latroni? Narrat Joannes cap. 19. *JESUS autem inclinato capite tradidit spiritum.* Quæstio nunc est, ad quam partem Jesus caput suum venerandum reclinaverit: an versus dexteram, vel sinistram partem? communis est responsio: quod ad dexteram partem, in quâ parte hic latro pendebat; retendo ergò Jesus sacratissimum caput suum ad partem dexteram, versus latronem Dismam, consequenter & oculos suos ad hunc hominem defixos habuit, Dismam aspexit, intuitus est, & ultimus hic Jesu aspectus, Dismam format cœli civem, filium, ac heredem vitæ æternæ. *Format obtutu*: optimè Cassiodorus: *Beati redduntur, ad quos propitiis respicit Deus, quoniam intuitus ejus beneficium est.*

CON-

CONCEPTUS VI.

Soli radios suos in frigidam glaciem defigenti, quia in aquam resolvitur & defluit, Academicus hoc lemma subscripsit: *Solvit dum vidit*, revera Sol Justitiæ Christus JESUS, frigidos peccatores, quos clementer aspicit, videt, protinus in pœnitentiæ lachrymas resolvit, diffuere facit. Testis est S. Petrus: hic in atrio Pontificis negat suum charissimum Magistrum: *Non novi hominem*. Ad primam negationem non flet, non pœnitet Petrus, frigidus perseverat: Negat secundò, nondum scelus deplorat: Negat tertio, & hic resolvitur glaciale cor in amaras pœnitentiæ lachrymas: *Exiens flevit amarè*. Cur sicut ad tertiam negationem, non etiam ad primam Petrus contritus est? Ad primam negationem commissam non est intuitus JESUS Petrum, non etiam ad secundam, tertiâ negatione factâ inquit S. Lucas cap. 22. *Conversus Dominus respexit Petrum*, & vix Dominus, hic sol divinus radiis oculorum suorum, hanc frigidam glaciem, Petrum videt; *solvit dum videt*, dissolvit, inquam, in amarissimas pœnitentiæ lachrymas. Difertè hic S. Ambrosius lib. 10. in Lucam: *Negavit primò Petrus, & non flevit, quia non respexerat Dominus; negavit secundò, non flevit, quia adhuc non respexerat Dominus; negavit tertio, & respexit Petrum, & ille amarissimè flevit: quos Deus respicit, plorant delictum*.

O misericordissime Deus ad genua provolutus inclamo misericordiam tuam, cum S. Ambrosio mox citato: *Respice in nos, & miserere, respice Domine JESU, ut sciamus nostrum deslere peccatum*; ut cum S. Matthæo à te Deus sincerè conversi, pœnitendo, electi fiamus.

Amen.



(Ii) 2

IN FESTO



IN FESTO S. MATTHÆI APOSTOLI.

CONCIO SECUNDA.

Textus. *Vidit hominem sedentem in telonio. Matth. 6.*

Thema. Divitiæ, aurum, & argentum, faciunt divites in sceleribus confedere, sicque damnari.

Exordium.



Talanta, Virgo velocissima erat pedibus, ac cursu, hanc tamen retardavit, quo minus metam attigerit, Hippomanes, aureis pomis, quæ currenti Atalantæ in via objecit, quibus levandis occupata, metam non attigit, bravium deperdidit: Academicus emblemata subscribit: *Retenta ab auro.* Atalantæ nomine animam intelligo, quam Stygius Hippomanes auro divitiarum, ac opum, a cursu virtutum retardat, quo minus metam felicitatis attingat, sed communiter bravium vitæ æternæ deperdat. Agnoverat hoc sapientissimus Salom. qui de divitibus mundi scripsit, *Eccles. cap. 10. Nihil est iniquius, quàm amare pecuniam, hic enim animam suam venalem habet: ubi sunt, qui thesaurizant argentum & aurum, in quò confidunt homines? ad inferos descenderunt.* Baruch cap. 3. *Si dives fueris, non eris immunis à delicto, Eccles. 11. multos perdidit aurum & argentum, & usque ad cor Regum extendit: ibidem. Aurum & argentum vestrum arugine vitiatum est, & arugo eorum in testimonium vobis erit, & exedit carnes vestras, sicut ignis, thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus.* Jacobi cap. 5. *Facilius est camelum intrare*

*Textus Sacra
Scriptura.*

Eccles. cap. 10. Nihil est iniquius, quàm amare pecuniam, hic enim animam suam venalem habet: ubi sunt, qui thesaurizant argentum & aurum, in quò confidunt homines? ad inferos descenderunt. Baruch cap. 3. *Si dives fueris, non eris immunis à delicto, Eccles. 11. multos perdidit aurum & argentum, & usque ad cor Regum extendit: ibidem. Aurum & argentum vestrum arugine vitiatum est, & arugo eorum in testimonium vobis erit, & exedit carnes vestras, sicut ignis, thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus.* Jacobi cap. 5. *Facilius est camelum intrare*

intrare per foramen acūs, quàm divitem introire in regnum cæ-
 lorum. Matth. 19. Patres audiamus: *Qua est illarum anima-* SS. Patres.
rum insania, amittere vitam, appetere mortem, acquirere au- S. Augustin.
rum, & perdere cælum; inquit S. Augustinus de verbo Domi-
 ni. Et alio in loco: *Divitias invenisti, requiem amisisti.* S. Bern- S. Bernardus
 ardus in quodam Serm. habet: *Divitiarum amor insatiabilis,*
longè amplius torquet animam, quàm refrigeret usu suo, quarum
acquisitio quidem laboris, possessio timoris, amissio plena doloris S. Chrysoft.
invenitur. Qui pecunie servit, & presentibus compedibus con-
stringitur, & futuris paratur. docet S. Chryostomus hom. 9.
 super Matth. & iterum hom. 2. de verbis Isaiæ ait: *Aurum ni-*
hil est aliud, quàm terra rubra, perindè anima, qua se auro,
argenteove congregando, & congregando devorvit, ab iisdem pon-
deribus depressa, ad inferiorem locum in æternum crucianda de- Paschasius.
voratur. Mammona (Syræ interpretatione) divitiæ dicuntur,
quibus servire, Deum negare est. scribit Paschasius. *Aurum est,*
quod innocentissimas corrumpit animas, acutissimè excæcat ocu- Anonymus.
lorum pupillas, justissimas manus catenis constringit, generosissi-
ma sibi corda subjungat. Anonymus apud Mansi disc. 15.
 num. 7. *Sunt laquei (divitiæ) malè acquirendo per fœnus & ra-* Hugo Car-
pinam, furtum, fraudem; servando sunt laqueus immisericordiæ, dinal.
& impietatis; in amittendo sunt laqueus desperationis. ita Hugo
 Cardin. in 1. Tim. *Dum Christus Luca 16. dicit: Homo quidam,*
& nomen non exprimit, significare voluit, quod Dives ille ignorat S. Bernardus.
ur in Paradiso, ubi stabat Christus, quia in Paradiso ignoratur Senens.
nomen avari amatoris mundi, & divitiarum. scribit Bernardus
 Senens. tom. 4. serm. 16. part. 1. *Aurum natura grave*
gravius sit avaritia nimis, hinc est, quod plus habentem depri- S. Chrysolog.
mit, quàm ferentem, & vehementius aggravat corda, quàm
corpora. docet S. Petrus Chrysologus Serm. 29. *Invocatâ Dei*
gratiâ pergam Conceptibus.

CONCEPTUS I.

Confirmatio.

Primo Regum cap. 14. bis sacer textus repetit, mirum quid in castris Israelis contigisse; *Et factum est miraculum in castris, & per agros &c. & accidit quasi miraculum à Deo.* Quid est illud mirum ac stupendum? quod in castris evenit? desuper impendit, atque adeò mirentur Israelitæ, ut duplex miraculum factum affirmet? Exprimit sacer textus: *Sedent Hebræi, qui fuerunt cum Philisthim heri, & nudius tertius, ascenderuntque cum eis in castris, reversi sunt, ut essent cum Israel.* Transierat quondam ad Philistæos unus, & alter Judæorum, inque terra Philistinorum opes & divitias congregaverunt, possessiones acquirerunt, peramplè ditati sunt; quod omnes has possessiones, opes & divitias nunc dereliquerint hi transfugæ, ac ad patrias leges, ad cultum veri Dei transierint; pro duplici miraculo, ac factò mirò mirando à S. Scriptura prædicatur. Sic vult Abulensis quæst. 17. *Habebant in terra Philistinorum facultates suas, sciebant enim, quòd si converterentur ad hostes, perderent omnia, quæ habebant in terrâ Philistinorum &c.* Quod nunc divitias & opes deserant, ut ad salutem animæ, veram fidem, & cultum Dei iterum perveniant, hoc duplex est miraculum, quasi opus stupendum: quasi miraculosum sit, divitem pro salutè animæ suæ divitias contemnere, derelinquere, spretis divitiis, Deum, verum cultum, religionem, ac virtutem quærere, & inhærere. *Profecto, aurum est mentis insania, animi amentia, utque amentis furore acti, vitæ non consulunt, nec salutis, ita divitiarum cultores, Dei, & salutis suæ obliviscuntur, auro delusi, & excecati.* concludit citatus Abulensis. Si ergò contra ordinariè mundi cursum contingit, quod dives spretis opibus Deum colat, animæ suæ salutem quærat, certò duplex miraculum accidisse censendum est; tam periculosa, ac difficilis est salus divitis, ac pecuniæ inhiantis. Hinc capio verba S. Hieronymi quæst. 4. in Genesin.

CON-

CONCEPTUS II.

Quando magnus Patriarcha Abraham exivit ab Ægypto, refert sacer textus, quòd dives indè discesserit. Genes. 13. *Erat autem dives valde Abraham in possessione auri & argenti.* Desuper miratur S. Hieronymus: quomodo fieri potuerit, ut Abraham tam dives ex Ægypto discesserit: *Quomodo potuerit exiens de Ægypto fuisse dives valde.* Verba sunt S. Hieronymi: cur quæso quali mirum, & miraculum reputat S. Hieronymus, quòd Abraham, licet dives valde, multum auri & argenti possidens, tamen ex Ægypto exierit? Ægyptum deseruerit, & in terram electam pervenerit? Ægyptus regio, & sedes erat scelerum, hoc ergò erat mirum, & miraculum reputat S. Hieronymus, dives licet Abrahamus fuerit, tamen Ægyptum, iniquitates, & scelera fugerit, delicias & voluptates contemnens, Deo virtuosè adhæserit, viam virtutum ambulaverit; dives electam patriam, cœlorum regnum possidendum inquisiverit, cum alios divitiæ possessores suos non nisi in Ægyptum peregrinari faciant, in vitia & scelera conjiciant, à via salutis impediunt, ac retardent, juxta dictum Eccles. 11. *Si dives fueris, non eris immunis à delicto.*

CONCEPTUS III.

Job, à Deo in faciem Sathanæ justus, ac servus; Numen verum colens, deprædicatur: *Nunquid considerasti servum meum Job, quòd non sit ei similis in terrâ.* Job. cap. 1. Quid ad hæc Dæmon? hæsitat; tam justum, ac sanctum esse Jobum, ut æterna Veritas descripsit, Sathan non assentitur; undè audax tentator, & de Jobo sibi facilem victoriam promittit; eum in nefanda scelera brevi inducturum confidit: quas rationes & motiva habet Dæmon, quòd de sanctitate & justitiâ Jobi cunctetur, & dubitet, contra Jobum sibi facilem victoriam promittat? ratio, de sanctitate Jobi cur dubitet Dæmon, erant divitiæ & possessiones, quibus Jobum abundare noverat: *Nonne tu vallasti eum, ac domum ejus, universamque substantiam per circuitum.* Quasi dicat: nunquid

quid

quid Job auro, argento, aliisque abundat opibus: dives ut sit, & adeo justus, ac timoratus vivat, combinare non valeo, cum divites quasi semper adhuc sceleratos, perversos invenerim. *Quis contendat, ait gravissimus hic Pater Hieronymus: fieri non posse, ut tanta sanctitas, quanta de Job predicabatur, cum tanta divitiarum copiâ bene consentiat.* Testem produco hominem illum Matth. cap. 19.

CONCEPTUS IV.

Venerat homo quidam ad Salvatorem, desiderans in discipulum assumi: non est voluntati contrarius optimus Magister; hinc respondet homini illi: *Vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me:* hæc inaudiens; inquit Evangelista: *Abit tristis,* tristitia hæc, vitæ perversitatem, ac morum corruptionem significat; abiit tristis, & nunquam amplius reversus legitur, dicat causam Scriptura: *Erat habens multas possessiones.* Dives erat, auro & argento inhiabat, divitiæ hunc hominem in tantum imbuerunt, mores corrupuerunt, salutem periclitantur æternam. Innuebat hoc suavissimus Magister ad abitum hominis hujus, ad discipulos conversus, ait: *Amen dico vobis, quoniam dives difficile intrabit in regnum cælorum; facilis est camelum per foramen acus transire, quàm divitem in regnum cælorum;* Subintrat in hæc verba S. Hieronymus: *Hoc dicto ostenditur, non difficile esse, sed impossibile; si enim quomodo camelus non potest intrare per foramen acus, si dives non potest intrare in regnum cælorum, nullus divitum salvus erit.* Divitiæ à salute detinent, perdunt, ad interitum implicant.

CONCEPTUS V.

Absolon crinibus suis, ut fune exitiali periit. 2. Regum 18. Crines & nexus fuerunt, quibus implexus in quercu, infelix exspiravit. Manus liberæ habebat Absolon, gladio accinctus erat, cur hunc non evaginat, manus extendit, crines aut digitis solvit & expli-

& explicat, aut gladio & ense rescindit, sicque se ab interitu salvet & liberet; nullo prorsus utitur remedio, quasi fatuus ac stolidus, morte infami desit: quomodo crines adeo nocuerunt, capillatus Absolon, quomodo adeo salutis suæ immemor, quasi delirans moritur? rationem dat Hugo Cardin. in hunc locum, per cæsariem, crines, ac capillos Absolonis, mundi divitias, ac superflua intelligens: *Cæsaries Absolon divitiae sunt hujus mundi*: verba sunt Hugonis, hanc cæsariem, divitias legitur Absolon in vitâ suâ perquam sollicitè curâsse, & annuè auxisse, patet lib. 2. Regum cap. 14. *Tondebat capillum, quoniam gravabat eum cæsaries &c. ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico.* Totus ergo in terrenas opes, in augendas divitias Absolon immersus erat, cum etiam capillos annuè tondere, & publicè divendere curaverit: infert nunc Menander apud Stob. *Ubi stulta divitiæ potestatem nactæ sunt, illos etiam, qui sapere videntur, stolidos reddunt.* Divitiæ, & superflua mundi, Absoloni, nexus & funes fuerunt, quibus intricatus, stolidus, & insipiens perivit: subsumit S. Bernardus apud Thylm. *Laqueus Diaboli, divitiæ sunt hujus sæculi. Divitiæ ita nocent, ut mergant homines in interitum corporis, & perditionem animæ.* docet S. Anselmus. Conformiter dictis Apostoli 1. ad Tim. cap. 6. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & in desideria inutilia, & nociva, qua mergunt homines in interitum.*

CONCEPTUS VI.

Christus Dominus ut peccatum redimeret, peccatoris personam gessit: *Formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Ad Philip. cap. 2. Spinis punctus, & coronatus est: *Imponunt ei plectentes spineam coronam.* Marci 15. Etiam purpura indutus est: *Induerunt eum purpura.* Marci 13. Purpuram, quâ indutus est JESUS, iterum exiit: *Exuerunt eum purpura, & induerunt eum vestimentis suis, & educunt illum, ut crucifigerent eum.* Matth. 27. Spinis, quibus punctus,

Pars II.

(Kk)

ctus,

ctus, ac coronatus est, amplius IESUM deposuisse non legitur; au-
diatur Origenes in Catena ad Matth. cap. 27. *De chlamide quidem
scriptum est, quoniam denuò exspoliaverunt eum, de coronâ au-
tem spineâ nihil tale Evangelistæ scripserunt.* Cur cum spineâ
coronâ mori voluit IESUS? Spineâ, ipso Salvatore interprete: divi-
tias mundi denotant: *Quod inter spinas cecidit, hi sunt, qui
audierunt, & à sollicitudinibus & divitiis &c. suffocantur.* Luc. 8.
Si per purpuram superbos, per spineam coronam, divitiis huius
mundi penitus addictos, immerfos homines, Christus expressit,
spinis punctus, laceratus, cruentatus mori voluit IESUS, ad indi-
candum: quod qui divitiarum curis, & anxietatibus detinentur
in vita, tales & remanere in mortis articulo, affectum ad divitias
& opes, quem semel assumpserunt, & in corde radicare permis-
erunt, nunquam deponent, hinc divitiarum amore intricati, mi-
nimè animæ salutem etiam in agone cogitant, sed quasi fatui, ac
stupidi, unice in divitias & opes intenti, cum vitâ, & animam per-
dunt. *Quam in vita spineam coronam habuit, in morte retinuit,
ut nos doceret Dominus, sæpè homines divitiis in vitâ lacerari,
& in morte iisdem durissimè pungi.* Concludit doctissimus Na-
xera in lib. Regum cap. 18. §. 20.

CONCEPTUS VII.

Alcuinus textum Prophetæ Habacuc cap. 3. *Pro iniquitate,
vidi tentoria Æthiopia:* ita vertit: *Pro iniquitate, id est, pro di-
vitiis captandis, vidi homines factos tabernacula nigredinis.* Di-
vitiis sectantes nigris Æthiopibus comparat: cur hoc? notum est
Æthiopis nigredinem adeò agglutinatam esse, ut nulla aqua, nul-
lum lixivium, quantumvis calidum & forte, eam possit diluere;
ita nigredo peccatorum, desideriorum inutilium, agglutinata est,
divitias & opes anhelantibus, & multiplicantibus, opulentis ac di-
vitibus, ut incurabiles dixeris; juxta illud Jerem. 13. *Sì Æthiopi
potest mutare pellem suam, & vos poteritis benè facere, cum se-
ceritis malum.* Quam benè Seneca lib. 3. de ira cap. 31. *Circa
pecuniam plurimum vociferationis est, hæc fora fatigat, patres,*
libe.

liberosque committit, venena miscet, gladios tam percussoribus, quam legionibus tradit, hæc est sanguine nostro delibuta, propter hanc uxorum, maritorumque noctes strepunt litibus, & tribunalia Magistratum premit turba, Reges sæviunt, rapiuntque. Sicut viscus aviculæ utramque alam constringit, ut sursum ferri nequeat, ita cupiditas pro fluxis divitiis, & opibus, intellectum, & voluntatem detinent, constringunt, ne sursum ad Deum ferantur. Sicut terra, quæ aurum producit, ad cætera omnia sterilis est, ita anima auri cupida, ad nihil aliud, nisi ad illud coacervandum utilis est. Sicut luna, ut plena est, patitur Eclipsim, & tunc maximè à sole distat, ita homo tunc maximè obscuratur, & à Deo recedit, cum divitiis est plenus.

CONCEPTUS VIII.

Marcus cap. 5. narrat, crudelissimè à Dæmone cruciatum hominem, Jesu obviam occurrisse, quem misericorditer Christus liberavit: *Occurrit de monumentis homo, in spiritu immundo, qui domicilium habebat in monumentis, & neque catenis jam quisquam poterat eum ligare, quoniam sæpè compedibus, & catena vinculus dirupisset catenas, & compedes comminuisset, & nemo poterat eum domare, & semper die ac nocte, in monumentis, & in montibus erat clamans, & concidens se lapidibus.* Hunc miserabilem hominem Dominus clementissimus à nefario spiritu liberavit: *Exi immunde spiritus ab homine isto.* Audito hoc nuncio, quòd Diabolus pulsus sit ab homine isto, Gerasenorum cives exeunt, videre miraculum: *Veniunt ad Jesum, & vident illum, qui à Demonio vexabatur, sedentem, vestitum, & sanæ mentis, & timuerunt.* Titus Bostrensis apud S. Thomam, hominem ad Christi Domini pedes, gratitudinem suam profitentem insedisse testatur: *Viderunt sedentem juxta pedes, à quibus natus erat salutem, quem antea nec catena compescere poterant, vestitum, & sanæ mentis, qui continuò nudus erat, & obstupuerunt.* Notare libeat; Gerasenorum cives non obstupescunt exisse

(Kk.) 2

Dæmo-

Dæmonem, sed obtupestunt, hominem illum ad Christi pedes confedere; contrarium deberent mirari, quod hic homo liberatus sit à Dæmone, quod rabidus, ad sanam mentem redierit, quod longo tempore infirmus, modo valens in integrum sit curatus, hoc non mirantur, unicum stupent, quod ad pedes JESU hic homo resedeat. Cur hoc tantum mirantur ac stupent? quod sedeat ad pedes JESU? S. Augustinus in Catena testatur: hunc hominem fuisse divitem & opulentum, nobilem, & clarioris familia, sedere ad pedes Christi, idem sonat, quod Domini Salvatoris vestigiis inhærere, virtutibus inservire & incumbere, bonam, ac piam vitam agere; stupent ergò, ac mirantur Geraseni, non quia liber hic homo à Dæmonio est, sed quia sedet ad pedes Christi, quia vitam emendavit, ac in melius commutavit, quasi majus miraculum sit, divitem ad bonam vitam, ad cultum virtutum, ad servitium Dei deducere, quàm Diabolum ab obsessio corpore ejicere, ac depellere.

Epilogus.

Hortor ergò cum Psalmista Psalmo 61. *Divitia si affluant, nolite cor apponere; nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid possumus, habentes autem alimenta, & quibus tegamur, contenti simus.* Finio cum S. Paulo 1. ad Tim. cap. 6.

Amen.



IN FESTO

IN FESTO S. MATTHÆI
APOSTOLI.

CONCIO TERTIA.

Misericordiam volo. Matth. cap. 6.

Textus.

Misericordiæ operibus, ad gratias dandas, *Thema.*
vel maximè Deus movetur.

Sæcra Scriptura exordior thema assumptum: *Misericordia, & veritas te non deserant, & circumda eas gatturi tuo, & describe in tabulis cordis tui, & invenies gratiam, & disciplinam bonam coram DEO. & hominibus. Salomon Proverbiorum 3. 3. Et iterum cap. 22. Prov. 8. 9. Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur. Et Prov. 11. Benefacit anima sua, vir misericors. Tandem & Christus fatetur: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Matth. 5. Audiamus Patres: Nulla omninò res est, quæ Dei benevolentiam perinde conciliet, ac misericordia. docet S. Gregorius Nazianz. orat. de paup. amore. *Juvatur co. servus, & gratiam refert Dominus, largitor temporalium, ha. res efficitur æternorum. inquit S. Leo Papa Serm. de Quadrag. Beati illi, qui subveniunt miseris, quoniam eis rependitur, ut per misericordem Dominum de miseria liberentur. S. Augustinus de Serm. Domini. Et iterum hom. super Joannem: Ante oculos Dei, nunquam est manus vacua à munere, si arca cordis plena est bonâ voluntate. Non memini me legisse malâ morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit, habet enim multos intercessores, & impossibile est, multorum preces non audiri. Scri-**

Exordium.

Patres.

S. Gregorius Nazianzen.

S. Leo.

S. Augustin.

S. Hieronym.

(Kk) 3

bit

bit S. Hieronymus in epistola ad Nepot. *Per misericordiam pauperum, misericordiam paremus, ut possimus esse de penâ liberi, deque salute securi.* perorat S. Chrysoſtomus hom. 8. *Omnis summa Christiane discipline, in misericordiâ, & pietate est, nihil tam commendat, quàm misericordiâ.* concludo cum S. Ambrosio de officiis. Plures Patres qui legere cupit, legat in Domicali meo super Dominicam 8. Pentec. Concionem tertiam. *Nunc DEI gratiâ invocata, in materiam præsentem, audiamus Discursus.*

CONCEPTUS I.

Confirmatio. S. Bernardus tom. 5. §. 6. ex regio Psalmita, misericordi quadruplicem gratiam prædicit: Psalmus David sic habet: *Domine conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciet eum in terrâ, & non tradat eum in manibus inimicorum ejus.* *Conservet eum;* indicat gratiam conservatricem, *conservet eum:* id est, Deum ipsum misericordem, & suos, ac sua, à mille infortuniis conservabit, *& vivificet eum;* ecce gratiam *longa vita temporalis,* juxta dictum S. Apostoli 1. ad Tim. cap. 4. *Promissionem habens vite, que nunc est; & beatum faciat eum in terrâ:* figuratur gratia *donationis,* cum vita longâ, dabit Deus misericordiam, divitias, opes, & honores; *& non tradet eum in manibus inimicorum ejus:* ostenditur *gratia liberans:* liberabit Deus misericordem à peccatis, à pœnis, & à malis cunctis. Audiatur S. Maximus hom. 1. de eleemosyna: *Quamvis pollutus, quamvis multis criminibus circumseptus, si eleemosynas feceris, innocens esse capissi, vide ergò, qua sit misericordia gratia: una & sola virtus cunctorum est redemptio peccatorum.*

CONCEPTUS II.

Deus fatetur, & promittit Psalm. 180. *Gloriosa dicta sunt de te, memor ero Rahab:* Magna gratia, si Princeps aliquis, subditi recot-

ti recorderetur, memor vivat, cum alicujus memorem vivere, idem sit ac gratiis fovere: quod nunc Deus promittat se Rahab memorem esse, promittit & gratiis ei additum esse. Si vitam Rahab consideretis, erat hæc fœmina in civitate Jéricho prostituta meretrix, quæ ergo gloriosa dicta de Rahab, ob quæ Deus memorem se ejus vivere, ei benefacere, elargiri gratiam promittit? opus illud gloriosum Rahab, fuit opus misericordiæ, ita liber Josue cap. 2. *Recepit exploratores*, peregrinos suscepit hospitio, omnem bonam voluntatem eis exhibuit, & hoc gloriosum illud factum Rahab, ob quod Deus se memorem promittit esse, gratiâ largissimâ exsolvit, cum hanc Rahab Duci ex stirpe Juda desuper in uxorem elocari ordinaverit, de quâ Tribu Christus JESUS natus est.

CONCEPTUS III.

Magdalena binis vicibus balsamo unxit Christum, in domo Simonis Leprosi, Lucæ cap. 7. & iterum Matth. 26. effudit balsamum quàm odoriferum super caput JESU. Primam unctionem non adeò extollit JESUS, maximè verò deprædicat unctionem secundam: *Ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur quid hæc fecerit.* Quod Deus adeò laudat, & per universum mundum deprædicari ordinat, utpotè maximis favoribus dignum opus æstimatur? unde tanti meriti facta est secunda hæc unctio Magdalenæ? advertite: Prima unctio, in domo Simonis leprosi, unctio fuit charitatis: asserente Christo: *dimixisti multum.* Lucæ 7. Secunda unctio, fuit unctio misericordiæ, & commiserationis, iterum Christo teste: *Mittens enim hæc, unguentum hoc, in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* Sepelire mortuos, est opus misericordiæ; opus ergo misericordiæ Magdalenæ tantum æstimatur, opus misericordiæ, superexaltat charitatem, misericordiæ opera, prima erunt in gradu, prima in præmio.

CON-

CONCEPTUS IV.

Matthæi cap. 25. narratur: Christum venturum Judicem, ita exorsurum suum Judicium: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum, à constitutione mundi.* Qui erunt hi benedicti, quæ classis? an charitativi Patriarchæ, Prophetae, Apostoli? an constantes martyres, an castæ virgines? Hi omnes erunt benedicti, sed omnium primi in gradu, in ordine, in numero, erunt misericordes, ut ex textu sequenti patet: *Venite benedicti &c. esurivi enim, & dedistis mihi manducare.*

CONCEPTUS V.

Joannes Apocalyps. cap. 1. narrat: se raptum in caeli gaudia vidisse *7. candelabra aurea, in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis, qui habebat in dextera sua septem stellas.* Filius hominis, quem Joannes vidit, est Christus in gloria. Per *7. candelabra aurea* intelligit D. Bonaventura in Dial. salut. titul. 7. c. 4. opera misericordiæ, per *stellas, quas in dextera sua Christus portat,* intelligit S. Bonaventura misericordes, conformiter dicto Danielis cap. 12. *Iusti fulgebunt sicut stellæ, in perpetuas aternitates.* Stellæ sunt omnes iusti, at hæc differentia, stabunt alii ad latus Christi, misericordes in dextera ejus, in manibus portantur, summè foventur, maxime remunerantur.

CONCEPTUS VI.

Joannes, ut narrat Matth. cap. 11. ablegat suos discipulos ad Christum: *Tu es, qui venturus es &c.* nec ita, nec non respondet Christus, sed hoc dictorio remittit nuncios: *Dicite Joanni, quæ vidistis & audistis: Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.* Hæc mera sunt opera misericordiæ, ex his quid aliud

aliud concludat Joannes, quàm me esse Messiam, filium Dei. Opera ergò misericordiæ probant filios Dei. Electi ergò, certo salvi erunt misericordes, & primi, amici intimi, quid amplius, & filii, omnium electorum dilectissimi.

CONCEPTUS VII.

David profugus à facie rebellis filii Absolon, inquit sacer textus 2. Regum 15. *Incedebat per viam oliuæ: cur viam oliuæ eligit David? Oliua symbolum est misericordiæ, teste S. Hieronym. Oleum de radice amaritudinis, surgit in pabulum luminis, in medicinam vulneris, in refectiorem esurientis.* David in summo rerum discrimine, faventem sibi Deum exoptat, ad hoc intentum suum perfacile obtinendum, gratiam Dei impetrandam, viam oliuæ, viam misericordiæ iniit, & saluti consultit, gratiam Dei, & succursum obtinuit de cælo. Optimè citatus purpuratus Pater: *Quod in refectiorem esurientis impenditur, quod curandis vulneribus funditur, via est ad cælum expedita, ad declinandum periculum plana; cælestis gratia redditur misericordi pro usura.*

CONCEPTUS VIII.

Genesis cap. 8. Noë binis vicibus emisit columbam, primâ vice extentâ manu eam in Arcam recipit, quasi præmium dans pro nuncio lato: secundâ vice columba attulit ramum oliuæ, & non amplius in arcam recipitur, sed libera in cælum avolare permittitur. Cur secundò Noë columbam in Arcam non recipit? Notate: secundâ vice columba tulit ramum oliuæ, qui oliuæ ramus misericordiam figurabat, misericordiæ nunciam & latricem columbam, non tam terræ, quàm cœli decent præmia; columba, allato oliuæ ramusculo ad arcam non recipitur, sed in cælum libera avolare permittitur, quia per impensam afflictis misericordiam patuit impendenti ad olympum via.

CONCEPTUS IX.

Salomon ad Sancta Sanctorum, in templo illo magnifico fecit duo ostiola specialia: *Fecit in ingressu oraculi duo ostiola de olivis*: 3. Regum cap. 6. Cur duo ostiola de lignis olivarum fecit? olei qualitatem consideremus, oleum lenit, mitigat, pinguefacit, symbolum est misericordiæ; duas portas ad Sanctum Sanctorum, ad oraculum Salomonis ex olivis fecit, discamus: duæ patentès portæ sunt ad cœlorum regnum, duplicia illa opera misericordiæ, temporalis, inquam, misericordiæ opera, & spiritualis.

CONCEPTUS X.

Prædicat Paulus 1. ad Corinth. cap. 9. *Omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium*. Luctatores sumus in hoc arenario mundi, certantes, & belligerantes pro bravio regni cœlestis possessione, quam tesseram habemus, quod quis certò obtinebit bravium hujus possessionis? explico me terrestri similitudine: olim nudi luctabantur, seque oleo inungentes decertabant, qui ergò magis se oleo inungebat, huic moraliter victoria, bravium quasi certum erat: oleum sunt opera misericordiæ, his qui se magis ac magis inungit, plura misericordiæ opera perpetrat, huic & certior salus, ac bravium æternæ beatitudinis indubiè promitti potest.

Epilogus.

Hortor ergò cum verbis exordii. Prov. cap. 3. *Misericordia ac veritas te non deserant, circumda eas gutturi tuo, & deservit in tabulis cordis tui, & invenies gratiam.*

Amen,



IN FESTO S. MICHAELIS
ARCHANGELI.

CONCIO PRIMA.

Angeli eorum, semper vident faciem Patris mei, qui
in caelis est. *Textus.* Matth. cap. 18.

S. Archangelus Michael, maximus inter
Angelos Christianorum Patronus est, *Thema.*

S. Mater Ecclesia thema meum omnium primò confir- *Exordium.*
mat: Hic est Michael Archangelus, Princeps militia An-
gelorum, cujus honor praestat beneficia: constituit te Do-
minus ad omnes animas suscipiendas. Venit Michael Arch-
angelus cum multitudine Angelorum, cui tradidit Deus animas
Sanctorum, ut perducatur eas in Paradisum exultationis. Patres *SS. Patres.*
audiamus: Omnes Angeli ejus nos adjuvant, vel orando, vel bo- *S. Augustin.*
na suadendo, vel daemones arcendo, potius tamen hoc dicitur de
Michael. scribit S. Augustinus lib. 1. de Civitate Dei. Cum An-
gelis suis non cessat die noctuque praeliari contra Draconem illum,
qui dicitur Diabolus, pro Ecclesia orando, adjuvantia adminis-
trando, bona desideria inspirando, impetum Daemonum reprimendo. *S. Bruno.*
de S. Michael scribit S. Bruno Sermonem de S. Michael. Per-
pulchrè S. Laurentius Justinianus Serm. de S. Michael: Non
abs re S. Mater Ecclesia illum honorat, quem sui specialem, & pro- *S. Laurentius*
prium novit esse custodem, assiduum intercessorem &c. defendit *Justinianus.*
humiles, pudicos diligit, custodit vitam, regit in vita, perducit
ad patriam. Constat, quia S. Michael Princeps est omnium usque
in finem

Rupertus
Abbas.

in finem seculi, qui verbum Dei credunt, & consententur. inquit Rupertus Abbas de victoria verbi lib. 1. cap. 18. & iterum lib. 7. in Apocalypsi. Princeps noster dicitur, & est, Princeps in prelio, Princeps in orationis suffragio, usque in finem mundi, Princeps iste principatur populo Dei. Multa sunt nimis, & plura, quam ut presenti loco commemorare patiatur tenor propositi nostri, quæ per mysterium Principis hujus facta sunt, sicut Scripturis sanctis continetur, ex quibus omnibus magnus iste Princeps, quia per ipsum disposita sunt, sortitus est nomen Michael, quod interpretatur: quis ut Deus? Quid enim aliud hoc nomine innuitur, nisi quia qualia per ipsum facta sunt, nemo facere possit, nisi Deus. Ubi prospera promittuntur, & propitiatio, vel expiatio necessarius est, Michael dirigitur. Consonat S. Gregorius hom. 34. in Evang. Quoties mira virtutis aliquid agitur, Michael mitti prehibetur, ut ex ipso actu & nomine detur intelligi, quia nullus potest facere, quæ facere prevalet Deus. S. Michael ipse est prepositus specialiter, & Patronus Ecclesiæ militantis. Uti imploratus prius S. Spiritus gratiâ Conceptibus deducam.

S. Gregorius.

CONCEPTUS I.

Confirmatio.

Stupenda sunt beneficia, quæ S. Michael Archangelus olim Synagogæ Judæorum contulit; Archangelus Michael fuit, qui unâ nocte 185. millia Assyrionum militum interfecit, Jerosolymæ afflicto civis liberando, superbum Sennacherib humiliando. 2. Regum c. 19. Factum est igitur, in nocte illâ venit Angelus Dei, & percussit in castris Assyrionum 185. millia. Archangelus Michael fuit, qui Machabæis in auxilium venit in tot occurrentibus necessitatibus, illis adversus religionis, divinique cultus persecutores, gloriosissimas victorias impetrando: *Et nunc Dominator cælorum, mitte Angelum tuum bonum ante nos, timore, & tremore magnitudinis brachii tui, ut metuant, qui cum blasphemiam veniunt adversus sanctum populum tuum.* 2. Machab. cap. 11.

cap. 15. Archangelus Michael subvenit contra vim Heliodori, quo minus ærarium Ecclesiæ asportaret: *Apparuit autem illis quidam equus terribilem habens sessorem, optimis operimentis adornatus. Ipseque cum impetu Heliodoro priores calceos elisit, qui autem ei sedebat, videbatur arma habere aurea.* 2. Machab. S. Archangelus Michael confortavit, & vires tribuit Judithæ, ut Holoferni caput victrix amputaverit, obsidionem Bethulæ solverit; *Custodivit me Angelus ejus, & hinc euntem, & ibi commemorantem, & inde huc revertentem.* Judith cap. 13. Sanctus Archangelus Michael Danielem in lacu leonum contra famelicos tuetur leones: *Misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi.* Danielis cap. 6. Archangelus Michael custodivit tres pueros in camino ignis ardentis, ne à flamma læderentur: *Angelus autem Domini descendit cum Azariâ, & sociis in fornacem, & excussit Angelus flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omninò ignis, neque contristavit.* Daniel. cap. 3. Ita de S. Michael scribit S. Panthaleon Diaconus, & totum confirmat Daniel cap. 12. *Consurgat Michael Princeps magnus, qui stat pro filiis populi mei.* Quantus olim S. Michael Patronus fuit in Synagoga, tantus nunc est auxiliator, adjutor, defensor, & Patronus in populum Catholicum, rectè & verè credentem: S. Michael defendit nos in prælio, contra Barbaros & infideles, ut cant. Ecclesiæ: *Quo custode procul pelle, Rex Christe piissime, omne nefas inimici.* S. Michael fugat Dæmonis astus, & noxia, dum vivimus super terram; unde à Sophronio intitulum: *Dæmonum exterminator.* Et S. Bruno Serm. de S. Michaelē habet: *Cum Angelis suis non cessat S. Michael die noctuque præliari contra Draconem illum, qui est Diabolus.* S. Michael specialiter assistit in agone animabus nostris: *Venit Michael cum multitudine Angelorum, cui tradidit Dominus animas Sanctorum, ut perducatur eos in Paradisum exultationis.* S. Michael nobis patrocinatur ad tribunal divinum: *Signifer S. Michael repræsenter eas in lucem sanctam. Libera eas de ore leonis, & profundo lacu.* S. Michael

chael & fructuum terræ copiam à Deo nobis exorat, teste Panthaleone: *Fertilitatem fructuum terra suppeditat; Angelus pacis Michael ad istam cœlitus mitti rogitamus aulam, nobis ut crebro veniente crescant prospera cuncta.* Verbo: *Ubi prospera promittuntur, & propitiatio vel expiatio necessaria est, Michael dirigitur.* inquit Rupertus lib. 5. in Apocalypsi. In specie videmus, Psalmista regius Ps. 33. canit: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos:* Septuaginta, pro immitet, legunt: *castra metabitur:* quis est ille Angelus, qui immitet in circuitu? qui castra ponit? ut Dux & Princeps militiæ, ex omni parte, undequaque vigilias in bonum Christianitatis ordinat, & disponit? respondet Diaconus Panthaleon, esse S. Michael: *Michael qui versatur in cœlis, & ætherem obiit tanquam pernix fulgur, & universam, qua est sub cœlo, terram uno momento pervadit.*

CONCEPTUS II.

Adam è Paradiso expulsus non legitur amplius peccasse: quis astitit Adamo, quod tam timoratam posthinc vitam, poenitentiam interruptam, continuaverit? Dein Adam per lapsum, omnem gratiam perdidit, quis ergò Adamum docuit, & de necessariis quoad cultum Dei, quoad labores manuum, instruxit? non homo hic pædagogus erat, quia nullus præter Adam, & Evam exstitit: ergò Angelus, Adæ infelicis, ductorem, rectorem, instructorem egit? & quis ille Angelus? citatus Panthaleon vult fuisse S. Michaelum Archangelum; *Archangeli Michaelis susceptionibus, & monitis instructus Adam, & ligone terram fodiens, & sudore, labore frugaliter nutritus, non fuit amplius seductus ab hominis inimico, nec Dei hoste.* Vide, inquit S. Bruno Serm. de Sancto Michael: *Quantas gratias B. Michaeli Archangelo debemus, à quo Angelos accepimus nobis ministros ad custodiam ordinatos.*

CON.

CONCEPTUS III.

Zacharias cap. 2. describit visionem: *Vidi per noctem, & ecce vir ascendens equum rufum, & ipse stabat inter myrteta.* Quis est ille vir? & cur stat inter myrteta? Virum fuisse Angelum, ipse Propheta indicat: *Dixit ad me Angelus.* Theodori & Lyrani expositio est, hunc Angelum in specie fuisse Archangelum Michaellem: sed cur inter myrteta apparet? & se videndum præbet? Myrtus semper viret, viredo consolationis, & bonæ spei est symbolum: Myrtus & Romanis boni augurii arbor erat, non nisi prospera, & felicia portendere affirmantes; inter myrteta ergo apparet S. Archangelus Michael, verè credentium indeficiens, & optimus consolator, studens sine intermissione, bona prospera, & felicia Christianis procurare, deferre, ac nunciare. *Ubi prospera promittantur & propitiatio, vel expiatio necessaria est, Michael dirigitur.* inquit S. Bruno in cap. 5. Apocalypsi.

CONCEPTUS IV.

S. Joannes Evangelista cap. 8. narrat, se vidisse Angelum ante Altare cum thuribulo aureo: *Angelus venit & stetit ante Altare, habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super Altare aureum, quod est ante thronum Dei.* Per hunc Angelum intelligi S. Michaellem, docet S. Dionys. Carthus. *Aptius videtur, ut Angelus iste intelligatur Angelicus Spiritus Ecclesia præsidens, scilicet Michael, quia nunc Princeps exstat Ecclesie, sicut olim Synagoga.* Per incensa multa, intelligi multas preces & suffragia, docet citatus textus, S. Michael Archangelus in manu tenet thuribulum aureum incensorum, sine intermissione orat & rogat pro Christianitate, ut Altissimus noxia cuncta abigat, prospera tribuat: audiamus verba Carthusiani: *Iste Ecclesiam visitat, & ante ejus Altare stat, habens thuribulum aureum, id est, charitatem præcipuam ad fideles, per quam spiritualia eorum sacrificia colligit, Deoque offert.* Optimè S. Augustinus lib. 1. de Civitate

tate

tate Dei. *Omnes Angeli ejus nos adjuvant, vel orando, vel bona suadendo, vel Demones arcendo, potius hoc tamen dicitur de Michael.*

CONCEPTUS V.

S. Lucas cap. 22. de Salvatore nostro agonizante narrat: *Apparuit autem illi Angelus de caelo confortans eum.* Carthusianus, & Bonav. lib. meditat. vitæ cap. 15. *defendunt hunc Angelum, fuisse S. Michaelem tunc Principem Synagoga: verba sunt Dionysii.* S. Bonav. sic scribit: *Cum autem sic orat anxius Dominus JESUS, ecce Angelus Domini Princeps caelestis exercitus Michael apparuit confortans:* Syriaca lectio habet: *confirmans eum:* In quo Archangelus Christum confortat, & confirmat? viderat naturam humanam Christi, ob instantem mortem, gravissimè tentatam, & anxiatam, tristem, & mœstam, adeò ut si possibile esset transire hunc calicem, tam horribilem mortem, Christus optaret, & precaretur: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste;* cum nunc Archangelus Michael sciret ac nosceret ex decreto divino, per mortem Filii Dei, perditum hominem redimendum esse, ut omninò redemptio ac salus humani generis opere compleretur, homo redimeretur, advolat S. Archangelus Michael, agonizanti, anxio, tristi Salvatore, ne mortem instantem, & gravia tormenta metueret, sed animosè amplecteretur, sustineret, animat, roborat, confortat, confirmat. Ita perorat Josephus Mansius in Festo S. Michaelis disc. 3. num. 7. *Salutem nostram amavit S. Michael, qui Christum in horto anxium, & pro peccatis nostris agonizantem animavit, & ut pro redemptione nostrâ sanguinem suum effunderet, strenuè cohortatus est.*

CONCEPTUS VI.

Dum Christus Dominus gloriosus è sepulchro prodixisset, narrat S. Matth. cap. 28. *Ecce terra motus factus est magnus, Angelus autem Domini descendit de caelo, & accedens revolvit lapidem,*

dem &c. dixit mulieribus, surrexit &c. citò euntes dicite discipulis ejus. Ex multorum sacrorum interpretum non improbabili opinione disco: quod quotiescunque in Sacra Scriptura Angeli alicujus fit mentio non adhibita nominis ejus specificatione, per talem Angelum S. Michaellem per antonomasiam semper intelligi, maximè si de insigni aliqua talis Angeli operatione fit mentio: cur nunc cum tanto impetu, inquam terræ motu, Archangelus Michael in resurrectione Christi descendit? cur lapidem ipsemet revolvit? non quæsitus, dixit: resurrexit? citò Apostolis nunciari hortatur? dicam quod sentio: Eveniunt fortunatissima nova, fidelis & amans Cæsaris, Dux & Princeps ipsemet, in persona propria velocissimè accurrit, tam fortunata nova annunciat: fortunatissima pro Christianis hæc erant novalia, surrexit Christus, redemptum est genus humanum, Adæ debitum solutum est, liberatus est infelix homo, ex sclavo Dæmonis, evasit in hæredem Dei, ô novalia gaudiosa! prospera & fortunata! cum impetu ergò, quàm velocissimè ipsemet Archangelus Michael, Princeps Angelorum, de cælo descendit, humano generi redemptionem significat, & intimat: non quæsitus ait: resurrexit, non rogatus lapidem revolvit, ac instat: dicite discipulis ejus. Quis ex hinc non percipiat, non intelligat, quantum S. Michael humano generi, ac in specie verè credentibus, patrocinetur; quantum foveat, ac amet.


Hortor ergò omnes Christianos cum S. Laurentio Justiniano *Epilogu.*
 Serm. de S. Michaele: *Agnoscant singuli, agnoscant omnes, prote-*
ctorem suum, illius laudibus efferant, frequenter sollici-
tent precibus, devotione inclinent.
 Amen.



Pars II.

(M)

IN FESTO


 IN FESTO S. MICHAELIS
ARCHANGELI.

CONCIO SECUNDA.

Textus. Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Psalmo 90.

Thema. Cuivis homini à Deo datur Angelus custos, qui verè boni sunt amici, quia in necessitate juvant, & assistunt.

Exordium.



Uivis homini à Deo liberalissimo, Angelum attribuit, qui eum custodiat, foveat, proteget; patet Scripturae textibus: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui praecedat te, & custodiat in viâ, & introducat in locum, quem paravi.* Exodi 23. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, ut eripiat eos.* Pl. 33. *Angelus meus Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Pl. 90. *Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis.* Paulus ad

ss. Patres. Hebræos cap. 2. *Consolatissimè S. Patres: Magna dignitas animarum, ut unaquaque habeat, ab ortu natiuitatis in custodiam sui Angelum deputatam, inò plures.* scribit S. Hieronymus in cap. 23. *Math. Magna beneficia tua, Domine, quibus nos honorasti, dans nobis Angelos tuos in ministerium nostrum, dederas nobis, quidquid caeli ambitu continetur, & quasi parum reputas haec, quae sub caelo sunt.* ita zelosè S. Augustinus in Soliloquijs cap. 27. *Adest unicuique nostrum etiam minimo, qui sunt in Eccl-*

Ecclesiâ Dei, Angelus bonus, Angelus Domini, qui regat, qui mo- Origenes.
 neat, qui gubernet. tradit Origenes hom. 66. in Genes. Angeli
 hi custodes verè boni nostri amici sunt, quia in necessitate vel
 maxime iuvant. Angeli ad nos habent pietatem, quia respici- S. Vincentius
 unt nos per fenestras, & quando vident nos in periculis, & mi- Ferrerius.
 ferius, veniunt ad defendendum nos. docet S. Vincentius Fer-
 rarius Serm. 7. Dom. 5. Adv. Angeli dirigunt vias nostras, tol-
 lendo nocumenta, que magis accidere possunt. inquit Abulensis in Abulensis.
 Genes. cap. 24. Non est omninò, ne vel in viâ aliquod offen-
 diculum patiat, illi nempe viam parant Angeli sancti. sic lo-
 quitur S. Bernardus Serm. in Psal. qui habitat &c. & iterum
 Serm. 4. super illud; accesserunt Angeli: Adsumt tibi Angeli, S. Bernardus
 non modò presentes tecum, sed etiam pro te adsunt, ut protegant,
 adsunt, ut profint. Propter nos, inserviunt nobis, miserentur
 enim sortem nostram, videntes periculum nostrum, & laborem S. Thomas à
 villa nostræ, qui conspiciunt nos in magno discrimine positos, in Villa Nova.
 medio scilicet, inter gloriam, & gehennam, quibus aut perpetuò
 regnandum est, aut ardens, & tanto discrimine obnoxios,
 omni sollicitudine curant in bonam partem deflectere. docet S.
 Thomas à Villan. Conc. 2. de S. Michael. Castra Dei hac
 sunt, quia ad modum castrorum nos manunt, qui sumus faci-
 les ad seducendum, fragiles ad resistendum, debiles ad operandum, S. Bonavent.
 & ideo occurrunt nobis tanquam potentissimi coadjutores. scribit tura.
 S. Bonaventura apud Mansi disc. 1. n. 4. Assidua vigilantia
 comittantur nos in periculis, in laboribus, in infirmitatibus, in S. Laurentius
 negotiis, in itineribus, semper adhortantes ad bonum, detestan- 7. Jimant.
 tes malum, protegentesque à malo. ita S. Laurentius Justini. cap.
 7. de obedientia. Isti sunt, per quos sustentamur, per quos in
 mari, & in terrâ iuvamur, per quos corpore & mente illumina S. Augustin.
 mur, per quos in tribulationibus, & angustiis consolamur, per
 quos ab infirmitatibus frequenter liberamur. scribit S. Augusti-
 nus Serm. 46. ad fratres. Imploratâ S. Spiritus gratiâ C nce-
 ptus placeant.

CONCEPTUS I.

Confirmatio.

Christus Servator noster de Angelo custode ad Apostolos perorans, parvulum puerum in medio eorum statuit: *Advocans JESUS parvulum, statuit in medio eorum:* & sermonem concludit: *Dico vobis, Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est.* Quisque etiam adultus & senex Angelum habet tutelarem, qui eum protegit, fovet, custodit: Petrus senex, & canus erat, dum de carcere liberatus adstat ad januam, Collegii Apostolici conventus fidelium asserit, non est Petrus, *Angelus ejus est.* Actor. 12. Si nunc quisvis mortalis, non tam pueri & infantes, sed etiam viri, cani, & senes, Angelum custodem habent, cur Christus de hoc tutelari Angelo agens ac loquens, recte puerum, parvulum, ac impuberem, & non potius virum adultum, vel plane senem decrepitem in medium producit, ac statuit, addendo: *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Cur recte parvulum puerum statuit in medio eorum, inquires: *Angeli eorum:* Quaestioni respondeo: parvuli, impuberes, vel maxime ductore, instructore, custode indigent, dum ob corporis debilitatem, dum ob rerum agendarum, periculorum fugiendorum imperitiam; parvuli ob naturae teneritatem, intellectus simplicitatem, ac morum ineptitudinem, plurimis ac maximis periculis subiecti sunt; adulti ac senes ob naturae vires, intelligentiam, prudentiam, morum gravitatem, non adeo, ac extreme periculis ac infortuniis subiecti sunt, fortitudine enim vincere, prudentia evitare gravissima possunt pericula animae, ac corporis; non ita infirmi, debiles, inepti parvuli; Christus ergo de Angelo custode differens, inquit: *Angeli eorum:* parvulorum inquam, perque haec verba indicat; quam boni amici, fideles adjutores sint Angeli, nempe ubi periculum manifestius, gravius damnum, major miseria homini imminet, ibi vel maxime adjuvant, patrocinantur, assistunt, fovent, & protegunt. Audiatur S. Hilarius in p. 129. *Angelis non eget natura, sed imbecillitas nostra, nil eorum, quaerimus, ignorat Deus, sed insantia nostra ad erogandum, & promerendum hos tales desiderat oratores.*

CON-

CONCEPTUS II.

Canticorum 7. narrat facer textus: lectulum Salomonis circumstare plurimos fortes: *En lectulum Salomonis circumstant sexaginta fortes.* Qui sunt illi fortes? & cur lectulum in tantâ copîâ circumstant? respondeo ad utramque quæstionem: S. Ambrosius lib. de Virgin. per hos fortes, intelligit sanctos Angelos: per lectulum intelligo statum hominis afflictum, ac miserum, ut infirmitatem, debilitatem, virium lassitudinem, animi mœrorem ac tristitiam, his enim in casibus vel maximè lectulus tenetur, & premitur; ad lectulum ergò in copîâ adsunt S. Angeli, perquàm optimi amici, in copîâ, indefinenter vel maximè assistunt, juvant, fovent, patrocinantur, in corporis vel animi miseris, necessitatibus, angustiis, ac periculis. *Totum quantum ad nos officium Angelorum est, ut defendant nos à malo, & conservent nos in bono.* inquit Abbas Cellens. lib. de mystica expof. tabernaculi.

CONCEPTUS III.

Isaias cap. 6. vidit Angelos sanctos sex alis ornatos, alas habebant in capite, alas in pectore, alas in pedibus: *Seraphin stabant super illud, sex ala uni, & sex ala alteri, duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant;* quid alæ ad caput? ad corpus, & ad pedes significant? S. Dionysius Areopagita lib. 6. de cœlesti Hierarch. per alas ad caput intelligit alicujus rei initium, & principium, per alas ad corpus, rei alicujus medium, seu partem dimidiam, per alas ad pedes, intelligit finem, & exitum. Alæ tot in Angelis, velox eorum indicat auxilium, subsidium ac patrocinium, S. Angeli velocissimè nobis subveniunt, tam in principio, in nativitate jam nostrâ, quam in medio cursu annorum nostrorum, quàm in fine, & termino, seu exitu vitæ nostræ, adjuvant in initio, in medio, & in fine; *movent alas custodia sua in favorem, & obsequium nostrum, in principio, medio, & termino vita nostra.* Verba sunt Dionysii Areopag.

(Mm) 3

CON-

CONCEPTUS IV.

Angeli non dicuntur sedere; sed stare ante thronum Dei, sic Job. cap. 1. *Quodam die venerunt filii DEI, ut adstiterent coram Domino: Cur stant in caelis Angeli? Quid tandem est, cur Angeli quotidie assistentes indicantur? Querit S. Chrysostomus in cat. Ita Deo assistentes dicit ipse JESUS, Dei vultum intuentur: Semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est: Matth. cap. 18. Cur tam fixè ac indefinenter Dei vultum contemplantur? respondeo ad utramque quaestionem: S. Augustinus in Psalmum 109. docet: Stare Advocati munus est. Stant ergo Angeli in caelis, apud Deum pro nobis rogant, sollicitant. Faciem Dei Patris speculum dixeris, in quo quid circa creaturam geritur, momentò in spiritu videtur; faciem ergo Dei Patris semper inspicunt, nostras miseras & pericula inibi dum agnoscunt, perspiciunt, sine morâ Deum precantur, Deum rogant, mala omnia & pericula clementissimè avertat, bona indulgèat, & tribuat. Ita S. Chrysostomus in Catena: *Adsunt, ut inspiciant essentia divina speculum, in eoque nostras contuentur miseras, ut intelligamus, quod rebus nostratibus semper invigilantes consulunt.* Preclare S. Laurentius Justinianus Serm. de Euchar. *Ne nos in hujus peregrinationis naufragio periclitemur, præbent consilia salutaria, deprecantium orationes perferunt, coram Deo offerunt vota, supplicationes impetrant, reportant gratiam.**

CONCEPTUS V.

Genesis cap. 7. narrat sacer textus: Postquam Noë se cum suis in Arcam salvâisset, & jam jam aquæ super terram invaluissent, Deum in propriâ personâ, Noë in Arca, foris, & ab extrinseco inclusisse: *Inclusit eum desoris: cur ipsamet Majestas divina in augustissimâ præsentia Noë ocludit? cur hoc officium, ac munus non Angelis committit? Constat Deo summa commiseratio, amor, ac sollicitudo, quam erga nos homines maximè in periculis &*

lis & miseris constitutos, Angeli habent, & retinent, ac portant; diluuium jam universam terram repleverat, aquæ super omnes colles & montes prominebant, lamentabili ejulatu homines super asseres & trabes semimortui denatantes, auxilium, misericordiam precabantur, ac invocabant; commississet nunc DEUS clausuram arcæ Angelis, & hi vidissent confisos tutela suæ tantis in periculis constitutos, tam lamentabili voce misericordiam invocantes, summâ curâ adlaborassent S. Angeli, suos clientes ab interitu salutare, Arcæ januas aperire, referare, in Arcam detrahere, ab interitu liberare: ut ergo omnem adiutorii occasionem erga homines Deus Angelis eriperet, ipsemet Deus Arcam de foris clausit, & referavit: *Inclusit eam Dominus de foris*; non Angelis commisit clavim ad Arcam; *ne indiscretâ pietate commoti, aliquem introducerent.* subscribit S. Chrysostomus.

CONCEPTUS VI.

Egressis filiis Israel ex Ægypto in terram promissam, optimus Deus in viâ ducem & comitem demandat Angelum, qui iter demonstraret, ac populum cautè deduceret, de hoc itineris duce Angelo narrat sacer textus Exodi 14. *Tollensque se Angelus Domini, qui præcedebat castra Israel, abiit post eos, & cum eo pariter columna nubis; priora dimittens post tergum stetit.* Notare libeat; quia Angelus jam præcedebat castra, jam castra Israel sequebatur: jam à facie, jam à tergo, Angelus, custos fidelis aderat: quod castra Israel præcedebat, & anteibat facile capio: Dux erat Angelus viæ, & itineris, præcedit ergo, viam demonstrans, iter dirigens; sed ad quid stationem suam deserit, non jam Israel præcedit, sed à tergo sequitur? *priora dimittens, post tergum stetit.* Ad quid à tergo sequitur? à tergo imminabant populo Israeli ingentia pericula; Pharaon Rex cum instructissimo, ac numerosissimo exercitu insequitur Israelitas: *Funxit ergo currum, & omnem populum assumpsit secum, tulitque sexcentos currus electos, & quidquid in Ægypto carruum fuit, & Duces totius exercitus.* Exodi 14. Angelus ergo stationem deserit, qui præcedebat, & quasi ad mare rubrum à fronte filios Israel tutos ac se-
curos

curos locaverat, ad tergum filiorum Israel retrocedit, ubi maximum periculum ingruerat, se convertit, hoc grande periculum avertens, impediens, eludens. Sic concludit Oleaster hic: *Ambulavit post eos, ut metum Israelis auferret, prohibendo accessum Pharaonis ad populum.* Tam boni sunt amici sancti Angeli custodes, ubi periculum maximum imminet, eo in adiutorium & auxilium se vel maximè convertunt, & advolant. *Angelus te pramunit à fronte, & à tergo te custodit, & nihil incustoditum relinquit.* concludit Sanctus Ambrosius in Psalmum 33.

CONCEPTUS VII.

Petrus devinctus detinebatur in carcere, qui inter duos milites detentus dormiebat, hunc vinctum excitat Angelus, salvum, & incolumem è carcere educit: prima fronte Petro videbatur quasi somniaret: *Existimabat se visum videre; transientes autem per primam & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad civitatem, qua ultrò aperta est eis, &c. & Petrus ad se reversus dixit; nunc scio verè, quoniam misit Dominus Angelum suum.* Actorum 12. Liber nunc è carcere Petrus, venit ad domum Mariæ, matris Joannis, qui cognominatus est Marcus, ubi erant multi congregati & orantes, pulsante autem eo ad ostium janue, processit puella ad videndam &c. & si cognovit vocem Petri, præ gaudio non aperuit januam, sed intracurrens nunciavit, stare Petrum ante januam: at illi dixerunt ad eam, insanis &c. *Angelus ejus est.* Hic quaero, unde Petrus, qui primâ fronte, quod factum est somnum judicavit, tandem Angelum adiutorem affirmat: *Nunc scio verè, quia misit Deus Angelum suum.* Unde, ex quibus motivis argumentatur esse Angelum? Item, congregati in domo Mariæ, matris Marci, unde affirmant, ad januam qui pulsât, non est Petrus, sed Angelus ejus est? respondeo: in summa, & extrema necessitate, ac vitæ periculo constitutus erat Petrus, inter duos milites, vinctus catenis duabus, cras ad supplicium educendus, è tanto periculo ut se sal-

vum

vum vidit Petrus, ut salvum & liberum Petrum esse inaudiunt fideles congregati, indubiè concludunt: *Angelus ejus est.* Angelus juvavit, liberavit: quò major enim necessitas, eò magis adsunt, adjuvant hi optimi amici, Angeli custodes: audiamus doctissimum Fernandez in Genes. cap. 23. *Tunc Angelum esse à tempore conjectabant, est Petrus in carcere, periclitatur vita, mortem expectat, ergò Petri Angelus est, ut periclitanti opem ferat, vinculum liberet, & à mortis faucibus eripiat, vigilat Angelus, & circumcursat.* O verè amicum bonum! ò amorem! ò commiserationem!

Hortor ergò, cum S. Bernardo Serm. de Angelis: *Simus de-* *Epilogus.*
voti, simus grati tantis custodibus, redamemus eos quantum pos-
sumus, quantum debemus, affectuosè tanquam futuros aliquan-
do cohæredes, & nostros interim actores, & tutores à Pa-
tre positos, & prepositos nobis.
 Amen.



IN FESTO S. MICHAELIS
ARCHANGELI.

CONCIO TERTIA.

Textus. Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui
in caelis est. Matth. cap. 18.

Thema. Summo zelo, & charitate S. Angeli nobis
patrocinantur.

Exordium,



Ngelos alatos se conspexisse describit Isaias cap. 6.
Academicus Angelo alato subscribit: *Amor* addidit
alas; alæ promptitudinis animi effectus signant;
amor immensus, quo nobis S. Angeli addicti sunt, ac
facit eos alatos, zelosissimos, affectuosissimos, ac

Patres.

promptissimos erga nos. Audiamus Patres: *Vide quanta sit An-
gelorum charitas, qui in caelo empyreo creati, tanquam in loco
sibi convenienti, & apto divinae contemplationi, pro divina de-*

S. Bonavent.

*dentia, & charitate ad proximum, habitant nobiscum in terra,
in loco obscurissimo, si caelo empyreo comparatur.* scribit S. Bona-
ventura Serm. 1. de Angelis. *De excelso caelorum habitaculo,
ad consolandos, visitandos, & adjuvandos nos, attrahit superem-*

S. Augustin.

nens charitas Angelos. ita S. Augustinus tom. 9. cap. de dili-
gendo Deo: & Serm. ad fratres: *Ipsi sunt, qui pro nobis contra
demonas pugnant, & victoriam obtinent, ipsi sunt, qui valde nos
diligunt. Angeli boni prouiores sunt ad adjuvandum, quam*

Abulens.

*Demonas ad infestandum, aliqui Demonas nunquam cessant ad
infestatione hominum usque ad mortem, ergo neque Angeli custo-*

diat.

quasi, 69. in cap. 18. Matthæi. *Semper suadent bona, ad orandum provocant, excitant ad compunctionem & fletum, Dei scientiam ingerunt, timorem filialem docent, pacificant mentem, cogitationes ordinant, spei infundunt dulcedinem, occulta pandunt, custodiunt unitatem, legis instruunt observare mandata, obtemperare Deo, subesse majoribus, pacem diligere, humilitatem sectari, & cuncta odisse, quæ norunt repugnare virtuti.* ita S. Laurentius Justinianus cap. 16. de vitâ solitaria. *Propter nos laborant, circa nos curstant, hoc est, eorum ministerium propter nos in omnes partes mitti.* S. Chryostomus hom. 3. ad Hebræos. *Mirâ humilitate nobis condescendentes, omnem exhibent sollicitudinem, ut tandem cohæredes, & consortes ipsorum efficiamur in caelis.* S. Joannes Damascenus lib. 2. fidei orthod. cap. 3. *Fidelis Paranympus (de Angelo custode loquitur S. Bernardus Serm. 1. de Angelis) discurrit medius inter dilectum, & dilectam, vota offerens, & referens dona, excitat istam, placat istum. Angeli nostros sudores, non suos, nostras, non suas lachrymas offerunt Deo, nobis quoque ejus munera referunt. Et iterum: Ipsi amant nos, quia Christus nos amavit. Et Serm. 77. in Cantica habet: Bene tecum agitur in loco peregrinationis tua, de caelo, de terrâ, venit tibi auxilium; qui custodiunt te, non dormitant, neque dormiunt custodes tui, Angeli sancti, vigiles tui Spiritus. Tandem concludit Bernardus Serm. 2. in Vigilia Nativi: Quantum putatis, desiderant cives caelestes instaurari civitatis suæ ruinas? quomodo discurrunt medii inter vos & Deum, fidelissimè reportantes ad eum gemitus nostros, & ipsius gratiam nobis devotissimè reportantes. Plane non dedignabuntur, ut simus eorum socii, quoniam ubique instruunt, in cunctis nos protegunt, nostrum adventum expectant ad caelum, & sede paradisi nos replere affectant, ipsi sunt sanctissimi Spiritus, qui nobis dormientibus custodes assistunt. Quis existimet, quantâ charitate & curâ circa commissos sibi vigilant, quomodo torpen-*

Richardus à S. Victore. *tes excitant, & sollicitos atque ferventes amplius accendunt: quomodo hinc mala excusent, inde bona divino conspectui representent, quomodo defendant, aut his gratiam obtineant: perorat Richardus à S. Victore in Cant. cap. 4. Totum quantum ad nos officium Angelicum est, ut defendant nos à malo, & conservent in bono. Abbas Cellensis. lib. de mysti. exposit. tabern. Angelus te pramunit à fronte, & à tergo custodit, & nihil utrimque incustoditum relinquit. scribit S. Basilius hom. in Psalm. 33. Per hunc mundum caelestium virtutum quotidie multitudo discurret, quae nobis auxilii manus in certamine porrigit, neque enim versutia tam callidi tam exercitati hostis posset fragilitas resistere, nisi eum à tentationibus electorum virtus Angelica propulsaret. praedicat Petrus Damianus, lib. 8. ep. 17. Invocata de super S. Spiritus gratia Conceptus audire libeat.*

CONCEPTUS I.

Confirmatio. S. Joannes Evangelista, Apocalypf. cap. 5. narrat: sibi Angelos Dei instar perspicacissimorum oculorum esse demonstratos: *Et vidi, & ecce in medio throni &c. Agnum stantem, tanquam occisum, habentem oculos septem, qui sunt septem Spiritus DEI, missi in omnem terram.* Ergo oculis comparantur S. Angeli? cur oculis? oculo Academicus inscripsit Lemmata: *Dux est, custosque corporis; item: Perdita invenit.* Oculis comparantur sancti Angeli; nempè uti oculi ducunt, & dirigunt corpus, ita S. Angeli dirigunt vias nostras, ne offendamus, impingamus, ne peccemus. Ita concludit S. Thomas part. 1. quæst. 113. art. 4. *Sicut hominibus per viam non tutam ambulanti bus saluberrimi ductores adjunguntur, ita & cuiusvis homini, quamdiu viator est, S. Angeli velut ductores fidelissimi sociantur, ut per eosdem, à latronum infernalium insidiis protegantur.* Testatur hoc ipsum Judith cap. 13. *Angelus Domini custodivit me, & hic euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem, & non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari.* Tobias Junior felix suum

suum iter adscribit Angelo Duci: *Me duxit, & reduxit. c. 12.* Oculis Academicus & hoc Lemma adneſcit: *Perdita invenit:* nempe medio oculorum invenimus, quæ perdidimus: sic Angelis mediantibus auxiliantibus, per peccatum deperditam gratiam, iterum invenimus, recipimus: *Non dimittet cum peccaveris. Semper suadent bona, ad orandum provocant, excitant ad compunctionem, & fletum;* inquit S. Laurentius Justini. cap. 16. de vitâ solit. & iterum cap. 5. de vitâ monasticâ: *Si ignorant, docent nos, si cadunt, erigunt, si pusillanimes efficiuntur, sanctis exhortationibus roborant, & accendunt, & quâ parte humanâ curvatur iniquitas, eâ parte se opponunt casuris.*

CONCEPTUS II.

Citatus S. Joannes Evangelista, Angelum, qui sibi mira Apocalypſeos demonstraverat, vidit: *Præcinctum ad mamillas.* Cur præcinctum videt? explico me moralitate: cogitat quis sedulo aliquam rem perficere, ad hunc finem præcingit se; sic videmus, quod laboriosi rustici ad opera sua, & labores, humeros præcingant, causa; ut expeditius operi, & labori suo incumbere possint; est quis itinerans, videmus, quod vestes præcingat, curtet, atrahat, ut aptius progredi, non tam ire, quam currere valeat: opus Angelorum est, homines custodire, & tueri, ita Paulus ad Hebræ. cap. 1. *Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi eorum, qui hereditatem capiunt salutis.* Accinctum ergo vidit Joannes Angelum, ad indicandum; quam in munere suo, nos custodire, nobis patrocinari, expediti, celeres, veloces sint S. Angeli, plus eos currere, quam ire, magis volare, quam ambulare in nostrum adjutorium: Expertus Daniel capite 9. *Cum adhuc loquerer, & orarem, & confiterer peccata mea &c. ecce vir Gabriel &c. citò volans, tetigit me.* Volasse Angelum ad Daniëlem, velocitatem, & promptitudinem affectûs denotat, ad quid ergo addit, *citò volans:* utique ut exprimeret, quam zelosi, charitativi, erga nos sint Angeli Dei. Citò citissimè nobis succurrunt,

(N n) 3

currunt,

currunt, nos adjuvant. *Vix audierunt vocem divini praecepti, statim faciunt verbum ejus, ut quamvis divini verbi praeceptum antecedit, tamen tanta illorum in exequendo velocitas, & intensio est, ut nescias pene, quid prius est, voxne sermonum Dei, an illorum in exequendo velocitas.* ita de S. Angelis scribit S. Augustinus in Psalm. 102. *Ministrantium ordinibus injunctum est particulare hoc regimen univrsium, et quod perseverandum non tabescunt tadio, nec labore succumbunt.* perorat S. Laurentius Justinianus Serm. de S. Michaelis.

CONCEPTUS III.

Moyfes in descriptione mundi creationis, Angelos nominè lucis comprehendit: ut commentatur S. Augustinus: Psalmista etiam Regius Psalmo 103. Angelos, lucem, & ignem intitulat: *Qui facis Angelos tuos Spiritus, & ignem urantem:* cur sub nomine lucis, solis, ac ignis, Angelos Moyfes intelligit? Sol est celerrimus, ab oriente patet usque ad occidentem, luci solis Academicus inscripsit elogium: *Omni, in omnibus servit:* servit lux in legendo, in scribendo, in laborando, & ludendo; lucis nomine ergò comprehenduntur Angeli: *Omni, in omnibus servientes, patrocinantes quàm velocissimè, quàm zelosissimè;* servivit sic Angelus Isidoro Agricolaë in arando; ancillæ Sitæ nomine, in pane pinfendo; servivit Angelus Deodomodo, ad altare ministrando; Codrato, eum patris, ac nutricii instar, pascendo; Onuphrio, ad sex milliaria viam demonstrando; S. Joanni à Deo, ad incisionem venæ, pelvîm tenendo &c. Verissimè S. Bernardus in cap. 1. Cantic. *Anima nusquam est sine angelicâ custodia.* Et Anastasius Synaita habet lib. Exhameron: *Superna potestates valde,*

valde, & vehementer diligunt, ac protegunt humanum genus, & pro eo orant, ac intercedunt. Adest unicuique nostrum, etiam minimo, qui sunt in Ecclesiâ Dei, Angelus bonus, Angelus Domini, qui regat, qui moneat, qui gubernet. docet Origenes in Num. hom. 66.

CONCEPTUS IV.

Jacob Genes. 28. Angelos DEI vidit in scala ascendentes, & descendentes: *Viditque in somnis scalam, stantem super terram, & cacumen tangens cælum, Angelos quoque DEI ascendentes, & descendentes per eam.* Quæstio hic duplex oritur, prima, quid hic ascensus & descensus significat? Secunda, Angeli cœli cives cur prius de terrâ ascendere, quam descendere de cœlo, narrantur? ad primam quæstionem respondens, explico me moralitate: Est quis in officio præfecturæ, commissam sibi habens teneram juventutem, hic sedulus instructor, ac curator, indefinenter jam gradus ascendit, jam descendit, commissi sibi clientis, vigilem curam gerens. Nos mortales Angelorum curæ à Deo optimo commissi sumus: *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in viâ.* Exodi 23. Angeli ergo ut solliciti præfecti nostri, inquietè jam ascendunt, jam descendunt: *Vidit ascendentes & descendentes, nullum eorum stantem aut sedentem, sed semper vigilant in opere salutis nostræ. Ascendunt Angeli nostras orationes ad DEUM deferentes, quibus suas intermiscunt; descendunt cum diviniæ misericordiæ onus ad nos ditandas veniunt.* scribit S. Bernardus Serm. 19. in Cantica. Ad secundam quæstionem pariter respondeo, nempe cur Jacob Angelos prius de terrâ ascendentes, quam de cœlo descendentes dicat? Angeli sunt cœli cives, prius ergo descendere, quam ascendere videri debuissent, vidit prius Angelos ascendentes, quam descendentes, ad innuendum, Angelos tam zelosos, promptos, veloces esse in serviendo nobis,

bis, ut quasi amore nostri cœlestes deserant mansiones, nos adjuvantes, nobiscum plus & magis morari in exilio videntur, quàm in cœli deliciis, plus nostram salutem, quàm suam felicitatem, curantes, & æstimantes.

CONCEPTUS V.

Genesis 18. legitur, DEUM amandasse tres Angelos, ut ob nimia scelera Sodomam incinerarent, in itinere ad Abraham divertunt, & commissionem quam explendam habent, ad amissam Abrahamæ exponunt, ac narrant: *Nunquid celare patero Abraham, quæ gesturus sum? &c. clamor Sodomorum & Gomorraeorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis. &c.* Non legitur Angelos in commissione habuisse apud Abraham divertere, Abraham, quid facturi sint in Sodomis, enarrare. Cur ergo divertunt apud Abraham? cur seriem devastationis Sodomæ narrant? respondet Cajetanus: *Ut Abraham daretur occasio deprecandi.* Narrat ergo cladem Sodomæ imminentem, ut commiseratione motus, preces ad DEUM pro salute Sodomæ profundens, iratum numen placaret, sicque horribile ignis supplicium Sodomitæ effugerent, illæsi conservarentur. Quàm benè Abbas Cellensis: *Tantum quantum ad nos angelicum est officium, ut defendant nos à malo, & conservent in bono.* Patet ulterius ex ill. Genes. cap. 19.

CONCEPTUS VI.

Angeli hi Abrahamæ hospites gratiosi, licet aliàs velocissimi Spiritus, tardè tamen, & circa vesperum primum Sodomam deveniunt. Audite textum: *Veneruntque duo Angeli Sodomam vespere, sedente Loth præ foribus civitatis.* Quæ causa, quod tam tardè veniant Sodomam? & dein cur tantum duo hic adsunt

sunt Angeli, cum tres apud Abraham divertentes, Sodomam versus abiverint? cur moras protraxerint Angeli, & tardè jam ad vesperam Sodomam devenerint, causam allegat Lyranus hic: *Tantum tardaverunt, ut viderent, si parceret terra, propter preces Abrahæ, quia erant Angeli boni expectantes.* Noverant Angeli justum esse Abraham, & justas preces apud DEUM maxime valere, propter unum justum precantem, urbi, & orbi DEUM parcere solere, cum ergò ad precandum pro Sodomitis jam jam Abrahamum commoverint, expectant usque in vesperam, num DEUS placatus Sodomitis parceret, & condonaret. Ad Abraham divertunt tres, in Sodomam tantum duo devenerunt, causa sit: Abrahæ veniunt elargiri gratias, & hic plures adsunt Angeli, Sodomitis veniunt ex justo DEI judicio infligere poenas, & hic pauciores comparent; ad gratias, ad dona elargienda, ad nos juvandos adveniunt Angeli copiosi, ac plurimi, ad puniendum hominem comparent pauci, ac tardantes; amant & satagunt, & properant prodesse; indolent, & cunctantur nocere, etiam ex justo DEI judicio.

CONCEPTUS VII.

Ob peccatum Davidis immisit DEUS pestilentiam in Regnum: Et mortui sunt ex populo à Dan usque Bersabee 70000. virorum. 2. Regum cap. 24. Rectè tunc David apparuit Angelus Domini, *juxta aream Areuna Jebusai.* Cur juxta aream Areuna? hunc locum determinaverat Deus, in quo altare nomini suo exstructo reconciliaretur; adest ergò ex tempore Angelus, quod verbis non licet, nutu, & signo demonstrat, locum inquam ac remedium, quo iratus Deus à sæviante justitiâ, ut desistat, placari possit; ita super citatum textum commentatur Sanctius: *Angelus cum haberet in ultrice dexterâ cruentum gladium, peccatorum incolumitati consuluit, & quâ ratione istum vel declinet, vel eludat, admonet.* Apud sæculum sæpè destinati ministri ad æquitatem tuendam, evadendi, reos edocent viam. Quod ergò faciunt tribunalia sordido cupidita-

Pars II.

(O o)

tis

tis studio, fecit Angelus laudabili salutis hominum desiderio. Dolebat Angelus hominum stragem, divinis sic obtemperabat iussis, penes & dolori suo providebat medelam; offerre consulit Domino sacrificium, quo sedaretur Numinis ira, & cessaret propitiato Numine plaga. Tantum amant, tantum zelant S. Angeli salutem hominum. Omnibus modis student ocios mederi, juvare, prodesse, ac patrocinari.

Epilogus.

Cum S. Bernardo Serm. in Psalmum 12. hortatos cupio:
Simus devoti, simus grati tantis custodibus, redamemus eis.
 Et iterum in Pl. qui habitat: *In quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habe &c. quia adsunt, ut prosint.*
 Amen.

